ARISTOTELIS
DE
NOTIONIS DEFINITIONE
DOCTRINA.

SCRIPSIT

HERMANNUS BASSOW,
PHILOS. DOCT.

BEROLINI 1843.
SUMPTIBUS GUIL. BESSER.

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

ADOLPHO TRENDELENBURG

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

ADOLPHO TRENDELENBURG

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

DICAVIT

AUCTOR.

Logicae vis et auctoritas, quum in eo posita sit, ut cognoscendi formas et rationes investiget, fieri non potuit, quin a primordiis philosophiae longissime distaret. Cogitabant homines per saecula de natura, de vita et moribus, de rebus divinis, donec eo perventum est, ut formas cognoscendi ad certa principia revocarent, certisque limitibus circumscriberent. Egregia laus est Aristotelis, quod hujus disciplinae non solum fundamenta jecit, sed etiam magnam partem eam absolvit. Aristoteles primus universam cognoscendi rationem tanquam perplexam figuram in simplicissimas formas resolvit, singulasque tam accurate pertractavit, ut multis saeculis fere absolutae esse viderentur. Sunt pauca enim antiquitatis scripta, quae tam infinita auctoritate et tam diu in philosophia regnaverint, quam libri Aristotelis, quos veteres homines uno organi nomine complectebantur. Valuerunt per mediam aetatem; et quae est summa laus ecclesiae, quod rude et incultum vitae genus disciplinae severitate coercebat, eandem logica in litteris adepta est. Nam mentibus cogitandi munere parum adsuetis normam dabat, qua verum et falsum judicarent, et qui pro temporum indole dissolutius per litteras vagabantur, eos ad certam legem sese adstringere jubebat. Quodsi postea autem in immodicas subtilitates incide-

bant, id saeculi ingenio, non Aristoteli est crimini vertendum. — Ineunte nostra aetate, postquam litterarum studium juvenili cum integritate repeti et instaurari coeptum est, nemo nescit, Aristotelicae philosophiae summum illud imperium, quod obtinuerat, adeo labefactatum esse, ut fere contemta et oblivione obruta jaceret. Nam infracta scholasticorum auctoritate facile potuit accidere, ut fundamentum quo unice illa niti videbatur, in eandem corrueret contemtionem. At vero logicis libris contigit, ut ex hoc naufragio tanquam rata et certa in nostram philosophiam, quae propria vi effloruit, servarentur. — Ut saepius autem accidere solet, ut historiae monumentis quasi falsa vestigia imprimantur, ita factum est, ut logica Aristotelica paullatim ad eas sententias deflecteretur, quae nostra aetate in rebus logicis invalescebant. Etenim Kantius [1]), quamquam vere profitetur, logicam Aristotelicam per duo millia annorum valde exigua cepisse incrementa, quoniam ea, quae addidisset posterior aetas, tum supervacanea essent, tum logicae fines egrederentur, tamen, quam ipse sequitur sententiam Aristoteli ita subdit, ut eum logicam a rebus ad meras cogitandi formas avocasse censeat. At frustra quaeres in ipso Aristotele, quo istam opinionem confirmare possis; nam tantum abest, ut Aristoteles cognoscendi rationem ab ipsis rebus sejungat et divellat, ut per totam logicam in cogitando rerum naturam sequendam esse judicet [2]). Is certe cavebit, ne istam Kantii opinionem tueatur, qui ea, quae de definitionis natura ab Aristotele alte et subtiliter disputata sint, perlegerit. — Haec definitionis doctrina mihi digna esse videbatur, quae diligentius inquireretur, tum quia per se gravissima est quaestio tum

---

[1]) Kant Kritik der reinen Vernunft, Vorrede zur 2. Aufl. S. VIII.
[2]) Trendelenburg Logische Untersuchungen I. Bd. S. 18 ff.

quod ad intelligendam Aristotelis logicam, quae nunc paullo negligentius tractari solet, plurimum valet, necnon reliquis hujus philosophiae partibus lucem affert. Praeterea viri docti, qui in philosophiae historia enarranda operam posuerunt, dum syllogismorum doctrinam accurate persequebantur, definitionem, id quod mirum accidit, fere non attigerunt. Hoc mihi animum auxit, ut ad definitionis notionem enucleandam me accingerem etsi magnopere verendum sit, ne juveni in hoc difficiliorum quaestionum genere parum versato nimis ardua ac spinosa sit disputatio.

PARS PRIMA.

Quum igitur nobis propositum sit, ut notionis definitionem, qualis ab Aristotele exposita et constituta sit, inquiramus, non ea difficultate impediti tenemur, ut sparsa colligere et collecta componere opus sit, sed prospere evenit, ut singulari libro, altero analyticorum posteriorum philosophus hanc doctrinam copiose explicuerit. Itaque sic procedere visum est, ut hunc librum, quoniam plurimum valeat ad nostrum finem, tanquam ducem sequamur, simul autem ex reliquis scriptis ea omnia, quae pertinent ad definitionem, depromamus et colligamus. Analytica universam de definitione quaestionem tribus partibus absolvunt. Prima [1]), quae rem ipsam non aggreditur, sed praeparat, varias dubitationes proponit; altera [2]) ad ipsam definitionis naturam

---

[1]) Analyt. posteri. II. Cp. 3—6 Bek. *καὶ τί ἐστιν ὁρισμὸς καὶ τίνων εἴπωμεν διαπορήσαντες πρῶτον περὶ αὐτῶν.*

[2]) Cp. 7—11. *πῶς οὖν δὴ ὁ ὁριζόμενος δείξει τὴν οὐσίαν ἢ τὸ τί ἐστιν.*

enucleandam accedit; tertia[1]) viam et rationem, qua ad definitionem perveniatur, exponit.

CAP. I.

Ne lateant difficultates, quibus res obseptae sint, multum prodest, de iis dubitare. *Ἡ γὰρ ὕστερον εὐπορία λύσις τῶν πρότερον ἀπορουμένων ἐστί, λύειν δ' οὐκ ἔστιν ἀγνοοῦντας τὸν δεσμόν.* Itaque in multis quaestionibus Aristoteles ita procedit, ut rem, de qua agere instituit, antequam exponat, in dubium vocet, qua in re proprium dialecticae munus cernitur. Neque quidquam plus valet, ut instituta quaestio acuatur et ut finis, ad quem pergere debeat, clarius pateat.' Similiter nostro loco, priusquam rem ipsam aggrederetur, varias dubitationes praemisit, hoc quidem consilio, ut definitionem a ceteris cognoscendi formis, quas antea explicuerat, distingueret et separaret, ipsamque definitionis quaestionem quasi praemuniret. — Res igitur postulare videtur, ut gravissimas quasque explicemus, neque singula, si quae difficiliora occurrant, negligamus.

Ac primum quidem Aristoteles id agit, ut discrimen, quod intercedit inter definitionem et inter demonstrationem explanet. Itaque hanc ponimus quaestionem, num fieri possit, ut eadem res sciatur et definitione et demonstratione, qua quidem soluta, quid intersit inter utramque cognoscendi rationem, apparebit. Utile autem erit ad eam solvendam circumspicere, utrum nonnunquam certe tam propriam habeant naturam, ut altera in alterius locum substitui nequeat. — Omnis definitio, quum in eo detenta sit, ut rei notionem exploret, necesse est, universalis sit et affirmans; quidquid

---

[1]) Cap. 13 *πῶς δὲ δεῖ θηρεύειν τὰ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενα, νῦν λέγωμεν.*

enim significat, quid res sit, et universale est et affirmans. Itaque apparet, demonstrationum, quae non in prima probantur figura, nullas esse definitiones; syllogismi enim, qui alteri insunt figurae omnes negantes (στερητικοί), qui tertiae annumerantur, non universales sunt [1]). — Pariter primo adspectu patet, esse, quae soli definitioni vindicentur. Etenim quaevis demonstratio ex principio ducitur, ex quo per interjectam causam nascatur conclusio. Haec principia, quibus nituntur demonstrationes, definitiones sunt, quas si velles demonstrare, necessario in infinitum abires [2]).

Quibus expositis, quum satis appareat, utramque rationem cognoscendi suum proprium habere locum, ubi valeat, restat, ut videamus, utrum nullius rei esse possit et haec et illa cognitio? Summa vis demonstrationum in eo cernitur, quod a generali rei natura, quam supponunt, ea, quae per se insunt, vel attributa derivant. A qua quidem cognitione, quae demonstrationi debetur, definitio abest [3]); unde factum est, ut Aristoteles alterum genus definitionum nonnisi per demonstrationem confici posse doceret [4]). Quum talis sit demonstratio, sic procedit, ut referens aliquid ad ali-

---

[1]) Cf. analyt. prior. I, 4 sq. Bek.

[2]) Anal. poster. II. Cap. 3 ἢ ἔσονται αἱ ἀρχαὶ ἀποδεικταὶ καὶ τῶν ἀρχῶν ἀρχαὶ, καὶ τοῦτ᾽ εἰς ἄπειρον βαδιεῖται· ἢ τὰ πρῶτα ὁρισμοὶ ἔσονται ἀναπόδεικτοι.

[3]) l. l. Cp. 3. οὐδὲν γὰρ πώποτε ὁρισάμενοι ἔγνωμεν οὔτε τῶν καθ᾽ αὑτὸ ὑπαρχόντων οὔτε τῶν συμβεβηκότων. Verbo συμβεβηκότων hoc loco non ea significantur, quae casu quodam nascuntur; haec enim neque definitio, neque demonstratio potest cognoscere. Τῶν δὲ συμβεβηκότων μὴ καθ᾽ αὑτὰ, ὃν τρόπον διωρίσθη τὰ καθ᾽ αὑτὰ, οὐκ ἔστιν ἐπιστήμη ἀποδεικτική analyt. poster. I, 6. p. 75 a, 18. Patet vero ea intelligi, quae, quamvis ad ipsam rei essentiam non pertineant, rem consequuntur. Duplicem verbi notionem declarat Trendelb. d. anim. I, 1 § 1.

[4]) Cf. infra p. 14 sq.

quid veram aut falsam esse probet relationem; definitio autem, ut quae intimam rei notionem exploret, non aliquid de aliquo enuntiat [1]). Dum haec id agit, ut universam rei notionem exaequet et quasi expleat, illa in eo acquiescit, quod aliquid ad rem certo quodam modo relatum aut non relatum esse probat. In quo si versatur demonstratio, maxime in eo investigando occupata est, quod Aristoteles *τὸ ὅτι ἔστι* appellat. Etsi vero hoc concludit, tamen multum abest, ut *τὸ τί ἐστι* simul aperiat. Etenim Aristoteles diversarum rerum [2]) diversam demonstrationem esse statuit, nisi forte talis inter has intercedat ratio, ut altera alterius quodammodo pars sit [3]); nec vero sub talem cadere rationem *τὸ τί ἐστιν* et *ὅτι ἐστιν*. — Quibus perpensis, si ad propositam quaestionem videamus, perspicuum est, alteram rationem ab altera adeo disjunctam esse, ut omnino non ejusdem rei esse possint [4]). —

Supposuimus autem in antecedentibus, notionem demonstrando non aperiri; itaque videndum est, utrum

---

[1]) C. 3, *ἔτι πᾶσα ἀπόδειξίς τι κατά τινος δείκνυσιν - - - ἐν δὲ ὁρισμῷ οὐδὲν τερον ἑτέρου κατηγορεῖται.*

[2]) Cap. 3 *ἑτέρου ἑτέρα ἀπόδειξις, ἐὰν μὴ ὡς μέρος ᾖ τι τῆς ὅλης.* Hoc loco haud scio, an *τοῦ ὅλου* scribendum sit, id quod postulare videntur et verba, quae sequuntur *μέρος γάρ, τὸ δ' ὅλον* et totius loci sensus.

[3]) Nam si constat, omnino angulos trigoni aequales esse duobus rectis, trigonum quoque paria habens crura angulos habeat aequales duobus rectis, necesse est.

[4]) Ad id probandum hac quoque utitur ratione. Rem, inquit, si scimus demonstrabilem, necesse est, habeamus demonstrationem. Quod si eandem rem sciremus et demonstratione et definitione, fieri posset, ut rem demonstrabilem sciremus sine demonstratione, id, quod cogitari nequit. Vel ut paucis praecidit, unius, qua unum est, nonnisi una exstat scientia; *τοῦ γὰρ ἑνός, ᾗ ἕν, μία ἐπιστήμη.* Pariter fieri non potest, ut aliquid sciatur demonstratione, quod simul ita scitur definitione, ut non opus sit demonstratione.

haec notionis investigatio re vera syllogismi vim excedat. Definitio, nisi nominis descriptio esse velit, proprium [1]) rerum et substantiam investigat, earumque imagines quasi oculis proponit. Qua propter necesse est, ut rei naturae mentis imago respondeat, et ut definitio in definitae rei locum substitui possit [2]). Si quis igitur syllogismo notionem concludere velit, animadvertendum erit, ne istam legem praetermittat. Itaque syllogismum sic exstruere debet, ut singuli termini sibi prorsus respondeant et convertantur, id, quod a justa syllogismi forma quam maxime abhorret. Nihil enim hac ratione concludi, facile patet, quia notio, quae demonstranda est, jam inest termino medio, antequam facta sit ipsa conclusio [3]). Sumunt igitur tales syllogismi, quod demonstrandum erat [4]).

Quae quum ita sint, divisionem, quae quidem ab Aristotele ad syllogismi formam reducitur, iisdem finibus contineri, non est cur miremur. Aristoteles appellat eam imbecillum syllogismum [5]), quoniam id, quod

---

[1]) Cap. 4. τὸ δὲ τί ἐστιν ἴδιόν τε, καὶ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορεῖται; discrimen inter ἴδιον et τ. τ. ε. explicant topic. I, 4.

[2]) Ibid. ταῦτα δ᾽ ἀνάγκη ἀντιστρέφειν.

[3]) Cap. 4 ἐπὶ τοῦ μέσου ἔσται πρότερον τὸ τί ἦν εἶναι.

[4]) Ibid. λαμβάνει οὖν ὃ δεῖ δεῖξαι. Exemplum, quod Aristoteles proponit, rem illustrat. Id, quod sibi ipsi est causa vivendi, numerus est se ipsum movens. Anima est id, quod sibi ipsi est causa vivendi. Ergo anima est numerus, se ipsum movens. Hic syllogismus id sibi concedi vult, quod in rei demonstrandae locum substitui potest, ideoque nihil valet. Probat διὰ τοῦ ἀντιστρέφειν vel τὸ ἐξ ἀρχῆς αἰτεῖται, quod quidem vitium a nostris logicis petitio principii vocatur.

[5]) Analyt. prior. I, 31 init. Bek. ἔστι γὰρ ἡ διαίρεσις οἷον ἀσθενὴς συλλογισμός· ὃ μὲν γὰρ δεῖ δεῖξαι αἰτεῖται, συλλογίζεται δ᾽ ἀεί τι τῶν ἄνωθεν. Quod addidit hoc loco, omnes, qui divisionibus usi essent, in eo errasse quod substantiam et quid res sit, per eas demonstrari posse opinabantur, imprimis Platonem tetigit. Cf.

ostendere debet, potius sumit, quam demonstrat, et semper aliquid concludit, quod re demonstranda latius patet. — Neque alia res est, id, quod exemplo proposito facile intelligitur. Nam si per divisionem volueris probare hominem esse mortalem [1]), conclusio, si accurate syllogismum descripseris, haec erit: omnis homo est mortalis aut immortalis. Sic vero latius patet, quam id quod demonstrandum erat, ut hominem mortalem esse sumas, non demonstres. Semper, si hac dividendi via uteris, conclusio talis est, cui quaestio inhaereat, nec dissimilis est inductionis, quae communia quidem colligit, non tamen ipsam rei naturam concludit. [2]) — Etsi hoc modo appareat, divisionem ad notionem demonstrandam non plus valere, quam syllogismum, tamen id ei concedendum est, ut ad inveniendam definitionem haud leve pondus addat. Multum enim prodest, ut justo ordine attributa collocentur neque ullum, quod rei insit, relinquatur. Sed haec hoc loco significamus tantum, quoniam fusius exponenda sunt, quum de quaerenda definitione agetur.

Quibus expositis, sequitur, ut duas quaestiones exponamus, quas etsi sub universam syllogismi legem cadant, Aristoteles separatim pertractavit. Quaeri [3]) pri-

---

Schol. in Aristot. colleg. Brand. p. 180, a, 11. Huic enim propriam esse hanc dividendi rationem, dialogi testantur. — Nostro etiam libro (C. 5) Platonem perstringit; quo enim spectant verba *οὐ γὰρ δεῖ τὸ συμπέρασμα ἐρωτᾶν, οὐδὲ τῷ δοῦναι εἶναι* nisi in dialogorum usum, in quibus divisione proposita disputantes alterutram partem eligere et quasi concedere coguntur.

[1]) Analyt. prior. I, 31.

[2]) Analyt. poster. II. p. 91, b, 14. *οὐδαμοῦ γὰρ ἀνάγκη γίνεται τὸ πρᾶγμα ἐκεῖνο εἶναι τωνδὶ ὄντων, ἀλλ᾽ ὥσπερ οὐδ᾽ ὁ ἐπάγων ἀποδείκνυσιν.* Hic locus non corruptus est et mutilatus, ut Buhlius scribit, neque opus est emendatione, qualem proponit in editione sua p. 708.

[3]) Ibid. Cap. 6. *ἀλλ᾽ ἆρα ἔστι καὶ ἀποδεῖξαι τὸ τί ἐστι κατ᾽*

mum potest, num certa quaedam definitio demonstrari possit, si propositio, qualis recta esse debeat definitio, exponat, assumtio autem in illa definitione nihil ostendat eorum desiderari, in quibus posita sit definitionis natura? Ut rem obscuriorem statim exemplo illustremus, num quis syllogismo probabit definitionem, si hoc modo processerit? Propositio: definitio constat ex propriis, quae rei naturam constituunt. Assumtio: proprium hominis in hac re sola positum est, quod est animal et bipes. Conclusio: ergo justa est hominis definitio, quae exhibet hominem animal et bipedem. Quum nihil valeat syllogismus, nisi medium quoddam adsit,

---

οὐσίαν ἐξ ὑποθέσεως δέ, λαβόντα τὸ μὲν τί ἦν εἶναι τὸ ἐκ τῶν ἐν τῷ τί ἐστι ἰδίων, ταδὶ δὲ ἐν τῷ τί ἐστι μόνα, καὶ ἴδιον τὸ πᾶν; τοῦτο γάρ ἐστι τὸ εἶναι ἐκείνῳ. ἢ πάλιν εἴληφε τὸ τί ἦν εἶναι καὶ ἐν τούτῳ; Verborum τὸ τί ἐστι κατ' οὐσίαν non tam arcta est conjunctio, ut significent notionem substantialem, quasi ὁρισμὸν ὁρισμοῦ, id, quod voluit anonymus in scholiis p. 243. b, 27. Nec enim id agitur, ut definitionis notio syllogismo demonstretur, sed quaeritur, num fieri possit, ut certa definitio (τ. τ. ε.) demonstretur, supposita generali definitionis notione (τ. τ. η. ε.). Itaque verba κατ' οὐσίαν vertenda sunt: si ad universam ejus notionem respiciatur. Nihil enim obstat, quin τὸ τί ἦν εἶναι dicatur οὐσία id quod non opus est exemplis confirmare. — Omnis loci difficultas ad discrimen redit inter τὸ τί ἦν εἶναι et τὸ τί ἐστι, quod quidem Trendelenburgius praeclare declaravit museo rhena. II, 4 et d. anim. p. 192. Neque a nostro loco aliena est vis et ratio eorum, quam vir doctissimus investigavit. *T.* τ, η. ε. enim generalem definitionis notionem significat, τ. τ. ε. definitionem, quatenus in praesentem rei conditionem quasi descendit. Hoc si verum est, locus nihil habet molesti. Syllogismus enim ab eo proficiscitur, ut generalem definitionis notionem in propriis, quae rei naturam constituant, positam esse sumat (ἐξ ὑποθέσεως δέ, λαβόντα τὸ μὲν τί ἦν εἶναι τὸ ἐκ τῶν ἐν τῷ τί ἐστιν ἰδίων). Quibus sumtis ea, quae in aliqua definitione proposita sunt, sola rei naturam constituere ita, ut totum rei proprium sit, ostendit (ταδὶ δὲ ἐν τῷ τί ἐστι μόνα, καὶ ἴδιον τὸ πᾶν). Inde concludit, hancce justam esse rei definitionem.

ex quo conclusio ducatur, haec ratio, quam exposuimus, plane nihil agit. Petit enim, quod demonstrandum erat. — Neque aliter res sese habet in syllogismis[1]), ubi praemissa syllogismi definitione nihil demonstrari perspicuum est. Nam si quis satisfecit legibus syllogismi, non opus est, hunc praeterea demonstret.

Non minus vitiosa est altera ratio[2]), quam breviter attingimus, probandi definitionem per definitionem contrarii, velut definitionem boni per definitionem mali. In qua etsi idem vitium inesse non lateat, quod tam saepe a nobis notatum est, tamen objici possit[3]), alteram definitionem ab altera differre ideoque non postulari quaesitum. Attamen vitium non tollitur, quamvis diversae sint definitiones, quia non magis haec per illam, quam illa per hanc probari potest, ut altera alterius partes suscipere possit[4]).

Inductioni[5]) denique, quam paucis hoc loco tetigit Aristoteles, non tanta vis inest, ut notionem apte declarare possit; in eo enim maxime versatur, ut *τὸ ὅτι ἔστι* constituat.

Ex omnibus, quae Aristotelis vestigia secuti protulimus, definitionem a ceteris cognoscendi formis et se-

---

[1]). Cap. 6. *ἔτι ὥσπερ οὐδ᾽ ἐν συλλογισμῷ λαμβάνεται τί ἐστι τὸ συλλελογίσθαι* etc.

[2]) ibid. p. 92, a, 20. Quod ait Trendelenburgius museo rhenano II, 4. p. 464. de nostro loco, fortasse legendum esse *οἷον εἰ τὸ κακῷ* id verisimile est, si ad verba sequentia respicias *ἔστιν ἄρα τὸ ἀγαθῷ εἶναι τὸ ἀδιαιρέτῳ εἶναι.* Praeterea facile *εἰ τῷ* scribi potuit pro *εἰ τὸ* propter verba *τῷ δ᾽ ἐναντίῳ*, quorum quidem est prorsus diversa ratio. Ceterum lectionem *εἰ τὸ* tuetur unus codex Bekkeri.

[3]) Cap. 6. *ἕτερον μέντοι ἔστω.* Rectius interpungitur *ἕτερον μέντοι· ἔστω,* nam *ἕτερον μέντοι* proferunt *ἔνστασιν*, *ἔστω* eam concedit.

[4]) cf. topica 8, 13.

[5]) analyt. poster. II, 7. init. *οὐ γὰρ τί ἐστι δείκνυσιν* (sci. ὁ *ἐπάγων*) *ἀλλ᾽ ὅτι ἢ ἔστιν ἢ οὐκ ἔστιν.*

gregandam esse et suum quasi locum habere, satis perspicuum est. Neque syllogismo enim, neque divisioni, neque inductioni contigit, ut definitionis officium omnino expleret. Antequam vero hoc accuratius describat, rem iterum in dubium vocat, ut de definitione fere actum esse videatur. Necessarium enim esse videtur cognitum habere[1]), rem esse, ut quid res sit, definiri possit; nam earum rerum, quae non exsistunt, nescitur notio et natura, neque aliud quidquam ostenditur, quam quod significat nomen.[2]) Cognitio autem *τοῦ ὅτι ἔστι* non definitioni sed demonstrationi et inductioni assignabatur. Jam id quaeritur, utrum definitio illud *ὅτι ἔστι* in suam potestatem quasi redigere possit, an in mera nominis explicatione acquiescere debeat? Dum, quid hac de re statuendum sit, exponit Aristoteles, jam in eo versatur, quod ipsius definitionis naturam aperit, qua re ad alteram quaestionis nostrae partem transducimur.[3])

---

[1]) ibid. p. 92 b, 4. *ἀνάγκη γὰρ τὸν εἰδότα τὸ τί ἐστιν ἄνθρωπος ἢ ἄλλο ὁτιοῦν, εἰδέναι καὶ ὅτι ἔστιν.*

[2]) Velut, quid significet nomen *τραγέλαφος* explicari potest, nec vero, quid sit *τραγέλαφος*.

[3]) Biesius (die Philosophie des Aristoteles 1. Bd. S. 290 ff.) hoc in capite parum accurate versatus est. Postquam capitis argumentum sic exposuit, ut, quomodo cum antecedentibus cohaereat, vix intelligatur, novam libri partem his verbis ingreditur: nachdem nun der Unterschied der Definition vom Schlusse allseitig bestimmt ist, kommt es u. s. w. — At hac de re in ultimis verbis non disputat Aristoteles, sed certam aliquam dubitationem proponit, quae definitionem omnino tollere videtur. cf. p. 92, b, 4. sq. et p. 92, b, 37, *πρὸς δὲ τούτοις ὅτι οὔτε ὁ ὁρισμὸς οὐδὲν οὔτε ἀποδείκνυσιν οὔτε δείκνυσιν, οὔτε τὸ τί ἐστιν οὔθ᾽ ὁρισμῷ οὔτ᾽ ἀποδείξει ἔστι γνῶναι.* Deinde ad definitionis naturam enucleandam sic accedit, ut causam tanquam vinculum proferat, quo illud *ὅτι ἔστι* et *τί ἐστι* conjungantur.

CAP. II.

Saepius memoratum est, Aristotelem definitioni hoc negotium mandare, ut notionem exploret. In quo vi versatur definitio, videndum erit, ut notionis naturae sit accommodata, hujusque legibus satisfaciat. Notio autem, qualis ab Aristotele describitur, interna lex et causa est, ex qua tanquam ex fonte certa rei natura originem ducit[1]). Itaque haec demum perfecta erit definitio, quae omnem operam in eo collocaverit, ut definiendae rei causam patefaciat. Quoniam vero causa rei vel aliunde repetitur, vel a re ipsa non diversa est[2]), apparet, duplicem esse rationem definiendi, quae accuratius sit explicanda. Priorem Aristoteles capite octavo exponit.

Raro mens humana hac sorte utitur, ut ad *τὸ διότι* intelligendum, *τὸ ὅτι* non extrinsecus recipere debeat. Solis fere mathematicis non opus est, ipsius mentis quasi finibus relictis ad experientiam confugere, quia ea, quae ponunt, sine externo auxilio accurate demonstrandi facultatem habent. Aristoteles quoque id tribuit mathematicis[3]) p. 93 b, 24 *ὅπερ ὁ ἀριθμητικὸς ποιεῖ· καὶ γὰρ τί ἐστι τὴν μονάδα ὑποτίθεται καὶ ὅτι ἔστιν*; in plerisque autem menti praescribit, ut primum, quae oculis objiciuntur, perlustret, ut externa rerum vestigia sequatur, ne multa ut *τὸ ὅτι* tanquam certum cognitionis fundamentum sibi comparet. *Ὥσπερ γὰρ τὸ διότι ζητοῦμεν ἔχοντες τὸ ὅτι, ἐνίοτε δὲ καὶ ἅμα δῆλα γίνεται, ἀλλ' οὔτι πρότερόν γε τὸ διότι δυνα-*

---

1) Metaphys. VII. Z. p. 162, 29; 164, 9. Brand. Analyti. poster. II. p. 30, a, 31. Bek.

2) analyt. post. II. Cp. 8 p. 93 a 3. *ἐπεὶ δ' ἐστίν, ὡς ἔφαμεν ταὐτὸν τὸ εἰδέναι τί ἐστι καὶ τὸ εἰδέναι τὸ αἴτιον τοῦ τί ἐστι· λόγος δὲ τούτου, ὅτὶ ἔστι τι τὸ αἶτον· καὶ τοῦτο ἢ τὸ αὐτὸ ἢ ἄλλο.*

3) cf. ibid. p. 93 a, 17 et 35; analyt. pos. I, p. 71 a, 15.

τὸν γνωρίσαι τοῦ ὅτι, δῆλον ὅτι ὁμοίως καὶ τὸ τί ἦν εἶναι οὐκ ἄνευ τοῦ ὅτι ἐστιν· ἀδύνατον γὰρ εἰδέναι τί ἐστιν, ἀγνοοῦντας εἰ ἔστιν.[1]) Abhorret enim ab eorum sententia, qui solam mentis agitationem ad res intelligendas sufficere existimant, dummodo haec innatas sibi leges satis perscrutetur. Accurate discernit inter ea, quae natura et ea, quae nobis sunt priora et notiora[2]); ab his vero judicat plerumque cognitionis initium ducendum esse. — Quomodo vero et unde hauriri potest illud ὅτι ἔστι, sine quo rei causa intelligi nequit? Hoc si quaerimus, apparet, ea, quae casu quodam rei adhaerescunt, ad id patefaciendum nihil valere.[3]) Quid enim certi ex iis colligi potest, quae non necessaria ac certa lege cum rebus conjuncta sunt.[4]) Itaque videndum erit, ut ex iis, quae ad ipsam rei naturam pertineant, aliquid percipiamus, quod si contigerit, quin res sit, nulla erit dubitatio.[5]) — Quum hoc modo rem esse invenimus, tunc sequitur, ut rei inventae causam investigemus. Nam omnis cognitio id agit, ut rem extrinsecus oblatam ad causam, unde nata sit, reducat, et rem apertam quasi denuo detegat. Ἔμπειροι quidem, quales in primo metaphysicorum libro describuntur, in re facta acquiescunt; etsi vero rem quodammodo cognitam habeant, tamen multum abest, ut verae scientiae conditiones expleant. Hujus enim pro-

---

[1]) p. 93 a, 26. τὸ δὲ ζητεῖν τί ἐστι μὴ ἔχοντας ὅτι ἔστι, μηδὲν ζητεῖν ἐστίν.

[2]) analyt. poster. I, 2. p. 71.

[3]) anal. post. II. Cap. 8. ὅσα μὲν οὖν κατὰ συμβεβηκὸς οἴδαμεν ὅτι ἔστιν, ἀναγκαῖον μηδαμῶς ἔχειν πρὸς τὸ τί ἐστιν· οὐδὲ γὰρ ὅτι ἔστιν ἴσμεν.

[4]) Methaphys. V. p. 120 Br. συμβεβηκὸς λέγεται ὃ ὑπάρχει μέν τινι καὶ ἀληθὲς εἰπεῖν οὐ μέντοι οὔτ᾽ ἐξ ἀνάγκης οὔτ᾽ ἐπιτοπολύ.

[5]) analyt. post. II. p. 93 a, 22. οἷον βροντήν, ὅτι ψόφος τις νεφῶν, καὶ ἔκλειψιν, ὅτι στέρησίς τις φωτός etc.

pria vis in eo cernitur, quod ad causam illustrandam procedit.[1]) In hac causa investiganda Aristoteles definitionem vult omnem operam collocare. Ubi hanc cognovit definitio, nihil obstat, quominus rei notionem recte declaret. Notio enim, quum non iners quaedam formula sit, id ipsum est, quod efficit, ut res ita se habeat.[2]) — Duplex igitur ratio est, quae in talibus definitionibus observatur. Altera experientiam consulit, et rem esse constituit, altera id agit, ut rei causam et notionem exploret. In hac cernitur cognitionis perfectio, in illa initium ac fundamentum. Jam si haec teneas, nihil habes, cur adhuc molesta sit dubitatio illa, quam septimo capite Aristoteles excitavit. Etsi enim ad stabiliendam notionem opus sit experientiam adire, tamen hac necessitate non tollitur definitio. Dum ea enim, quae sensibus offeruntur, cogitationi subjicit, altiore modo fieri posse, ut res sit, demonstrat. Addit, ut ita dicam, externis testimoniis interna e perspecta rei notione deprompta.

Haec ratio, quam exposuimus, quum causam aliunde arcesseret, in syllogismi formam revocari potest,[3]) id, quod proposito exemplo apparebit. Si oculorum perceptione edocti sumus, lunam deficere, *τὸ ὅτι* habemus, in quo quidem definitio non consistet. Quid enim ageret definitio, quae lunae defectum luminis privationem lunae exhiberet? Itaque causam indagabit[4]), qua inventa, definitio juste sic describi potest: lunae defectus est luminis privatio lunae terrae intercessione facta.

---

[1]) analyt. poster. I, 2 p. 71, b, 9.

[2]) cf. Trendelenburg. Museo Rhena. II, 4. p. 473.

[3]) p. 93 a, 7. *ἀνάγκη μέσον εἶναι τὸ αἴτιον καὶ ἐν τῷ σχήματι τῷ πρώτῳ δείκνυσθαι — — — εἷς μὲν δὴ τρόπος ἂν εἴη ὁ νῦν ἐξητασμένος, τὸ δι᾽ ἄλλου τὸ τί ἐστι δείκνυσθαι.*

[4]) cf. p. 93 a, 30.

Quis vero non videt, hanc definitionem similem esse syllogismi, in quo causa termini medii partes sustineat? Intercessio enim terrae medium est, ex quo lunae defectus concluditur.

Ne quis putet vero, haec cum iis pugnare, quae supra de syllogismo disputata sunt, non negligendum est, tali syllogismo notionem non demonstrari. *Ὡς μὲν τοίνυν λαμβάνεται τὸ τί ἐστι καὶ γίνεται γνώριμον, εἴρηται, ὥστε συλλογισμὸς μὲν τοῦ τί ἐστιν οὐ γίνεται οὐδ' ἀπόδειξις, δῆλον μέντοι διὰ συλλογισμοῦ καὶ δι' ἀποδείξεως* (p. 93, b, 15).[1]) Quum experientia

---

[1]) *Οὗτος μὲν οὖν ὁ τρόπος ὅτι οὐκ ἂν εἴη ἀπόδειξις, εἴρηται πρότερον· ἀλλ' ἔστι λογικὸς συλλογισμὸς τοῦ τί ἐστιν.* Quum incertum sit, cur talem syllogismum *λογικὸν* appellaverit, quaeritur, quid significent verba *λογικός* et *λογικῶς*? Est vero difficile, earum vim excutere, tum quia non ita saepe apud Aristotelem occurrunt, tum quia aliis locis aliud significare videntur. — Ubi leguntur in analyticis opposita sunt verbo *ἀναλυτικῶς*, ut ex hoc illis lucem afferre liceat. Analyt. post. I, 21 p. 82, b, 35; Cap. 22 p. 84, a, 7; Cap. 24 p. 86 a, 22; Cap. 32 p. 88 a, 18 (hoc loco opponitur *ἐκ τῶν κειμένων* i. e. *ἀναλυτικῶς* p. 88 a, 30). Ea vero analytica ratio ab Aristotele vocatur, quae ut rem intelligat, ex iis, quae ipsa rei natura continentur, argumenta repetit, ideoque rem quasi in elementa resolvit. Cf. Trendelenburg element. logic. Aristot. p. 47 sq. Cui si logica ratio opponitur, id agere videtur, ut praetermissis iis, quae proprie rei naturam constituunt, generali quadam lege, quae plura comprehendit, rem illustret. Rem ita esse, tum ex locis, quos attulimus, apparet, tum Alexandri sententia confirmatur, quam affert Philoponus ad analytica post. I. p. 82 b, 35 *ἀλλ' οὐδὲ λογικὰ πάλιν ἔλεγε φάσκειν τὸν Ἀριστοτέλη τὰ πιθανὰ μὲν, οὐκ ἀληθῆ δὲ, ἀλλὰ τὰ ἐξ ἀληθῶν μὲν προτάσεων καὶ ἀληθῆ, οὐ μὴν τὰ ἀποδεικτικὰ ἀλλὰ κοινότερα δυνάμενα πλείοσιν ἐφαρμόσαι.* Simplicius quoque illam vim tribuit verbo *λογικός* ad physica p. 202, a, 21, ubi tres verbi significationes annumerat. — — — *ἢ λογικὴν λέγει τὴν κοινοτέραν καὶ οὐ προσεχῆ οὐδὲ ἰδίαν τοῦ προκειμένου, οὐδὲ ἐξ οἰκείων ἀρχῶν· ἡ μὲν γὰρ ἐκ τῶν οἰκείων ἐπιχείρησις οὐ λογική, ὡς ἡ τὴν ψυχὴν ἀθάνατον δεικνῦσα ἐκ τοῦ αὐτοκινήτου, ἡ δὲ ἐκ τοῦ τὰ ἐναντία ἐκ τῶν ἐναντίων γίνεσθαι τὸ*

doceat, lunam deficere, haec sola definitio defectus notionem recte explicabit, quae ad rem experiendo

---

ἀθάνατον δεικνῦσα λογική. — In aliis scriptis, ut ad haec transeamus, nonnunquam verbis, etsi ad vim expositam redeant, reprehensionem adhaerere animadvertimus. Neque id mirum esse debet. Nam haec est laus Aristotelis, quod a nimis generali rerum tractatione abhorret, et res acute et apte exponere earumque originem ex propriis causis repetere studet. cf. de generat. anim. 2, 8 p. 747 b, 28 λέγω δὲ λογικὴν (sc. ἀπόδειξιν) διὰ τοῦτο, ὅτι ὅσῳ καθόλου μᾶλλον, ποῤῥωτέρω τῶν οἰκείων ἀρχῶν — — — — οὗτος μὲν οὖν λόγος καθόλου λίαν καὶ κενός. Ethic. Eudem. 1, 8 p. 1217 b, 19 εἰ δὲ δεῖ συντόμως εἰπεῖν περὶ αὐτῶν λέγομεν ὅτι πρῶτον μὲν τὸ εἶναι ἰδέαν μὴ μόνον ἀγαθοῦ ἀλλὰ καὶ ἄλλου ὁτουοῦν λέγεται λογικῶς καὶ κενῶς. Metaphys. N. p. 290, 20 Brand. — Aliis locis λογικός et λογικῶς non differunt a διαλεκτικός et διαλεκτικῶς; cf. Simplicium l. l.; Metaphys. Γ. p. 67, 14 Brand.; topic. V. 1 p. 129 a, 17; physic. III, 3 p. 202 a, 21. Nec difficile est visu, qui factum sit, ut in hanc significationem abirent. Dialectica enim ratio, quippe quae in communi hominum opinione versetur (topic. 1, 1) verum tentat et praeparat, propriam vero rei naturam non recludit. — Jam si quaerimus, quae significatio sit nostro loco vindicanda, frustra studemus, unam vel alteram ei accommodare, quare novam inquirere jubemur. Verbum λόγος imprimis in metaphysicis saepe hoc sensu legitur, ut ad notionis et formae vim accedat; (Metaphys. I, p. 35, 2 Br.; VI. p. 122, 11; VII, p. 132, 19; X, p. 209, 19) neque desunt loci, quibus λογικός et λογικῶς ad hanc significationem videntur referendae esse. Metaphy. VII, p. 163, 2 Br. φανερὸν τοίνυν ὅτι ζητεῖ τὸ αἴτιον· τοῦτο δ' ἐστι τὸ τί ἦν εἶναι, ὡς εἰπεῖν λογικῶς, ubi λογικῶς idem valet, quod κατὰ τὸν λόγον. Metaphys. XIII, p. 269, 25 ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν ἰδεῶν καὶ τοῦτον τὸν τρόπον καὶ διὰ λογικωτέρων καὶ ἀκριβεστέρων λόγων ἔστι πόλλα συναγαγεῖν ὅμοια τοῖς τεθεωρημένοις. Hoc loco non addidisset ἀκριβεστέρων, si verbum λογικός vim supra expositam haberet. Huc accedit, quod antecedentibus satis confirmatur, Aristotelem de argumentis dicere, quae magis ad idearum λόγον spectant. Metaphys. VII, p. 134, 7 ἀλλ' ὥσπερ ἐπὶ τοῦ μὴ ὄντος λογικῶς φασί τινες εἶναι τὸ μὴ ὂν οὐχ ἁπλῶς ἀλλὰ μὴ ὄν, οὕτω καὶ τὸ ποιόν. Hanc significationem non dubitamus ad nostrum locum transferre. Aristoteles definitionem, in qua exponenda versatur, λογικὸν συλλο-

perceptam causam, unde nata sit, adjecerit. Ex hac causa syllogismus, lunam deficere concludit, universalem vero et necessariam defectus notionem ea contineri, non probat, sed supponit. — Quod dicit autem illo loco, talem definitionem per syllogismum manifestum reddi, hoc mihi videtur significasse. Dici potest hanc definitionem, dum causam investiget, medium quaerere, ex quo necessario rem esse sequatur. Haec si agit, elucet, omnem ejusmodi definitionem rejiciendam esse, nisi quae ad syllogismi formam reduci possit. Syllogismus quodammodo testatur, aptam et idoneam causam ad rem declarandam detectam esse. —

Postquam ita generaliter edocuit Aristoteles, definitioni propositum esse, medium inquirere, in quo rei causa insit, capite undecimo eo pervenit, ut quodlibet causarum genus terminum medium fieri posse ostendat. Causarum disquisitionem, nemo nescit, principem locum in Aristotelis philosophia obtinere; hujus enim acumini primum contigit, quatuor earum genera accurate discernere et altius perspicere.[1]) Sunt vero hae, si scholasticorum terminis utimur, causa materialis, causa formalis, causa efficiens, causa finalis. Has si absolute consideremus, tam arcta est earum conjunctio, ut cogitatione tantum separari possint; nam forma a fine tanquam anima gubernatur et quasi expletur, ut in *ἐντελέχειαν* abeat; haec vero est creatrix causa, quae materiam ad vitam et actionem vocat. In hac rerum varietate autem, quae nostris oculis subjectae sunt, tam saepe sunt disjunctae, ut in definitionibus sit bene animadvertendum, ut apta causa eligatur. —

γισμὸν appellat i. e. syllogismum, qui ad notionem spectat eamque aperit.

[1]) cf. Metaph. I, 10 Bek. *καὶ τρόπον μέν τινα πᾶσαι (αἰτίαι) πρότερον εἴρηνται, τρόπον δέ τινα οὐδαμῶς.*

Aristoteles, ut rem illustret, exempla affert, in quorum primo causa materialis termini medii locum obtinet. Geometrae, ut demonstrent, angulum in semicirculo descriptum esse rectum, sic procedunt, ut constructione hunc angulum dimidiam esse partem duorum rectorum ostendant. Dum id faciunt, terminum medium investigant, ex quo necessario angulum esse rectum sequatur. Patet vero, hunc repeti ex anguli materia, quoad materia reperiri potest in rebus mathematicis Itaque angulum illum tunc demum recte definies, si in definitione causam in anguli materia positam non omiseris.

Eodem modo causa efficiens [1]) termini medii loco esse potest. Si cui bellum est contra Persas gestum describendum, prae ceteris exsistit quaestio, unde ortum sit bellum. Ubi id vero cognovit, medium possidet, ex quo bellum intelligitur. Rem, si ad syllogismum reducas, haec est: iis qui lacessunt, bellum infertur; Athenienses Persas lacessiverunt; ergo Atheniensibus a Persis bellum est illatum. – Similiter reliquae causae termini medii partes suscipere possunt. Quum in plerisque autem contingat, ut hae causae ad idem efficiendum concurrant, velut in domo aedificanda [2]), definitioni videndum est, ut omnes colligat et conjungat. Nec si singulae causae, ut causa efficiens, in pluribus rebus positae sunt, definitio earum ullam negligere et praetermittere debet.

Haec ratio definiendi, quam exposuimus, quum in iis versetur, quae causam aliunde repetunt, (hac enim

---

[1]) Cp. XI, p. 94 a, 36.

[2]) Cf. Metaphys. III, 996, b, 5 Bek. — Physic. II, 7 ἐπεὶ δ᾽αἱ αἰτίαι τέτταρες, περὶ πασῶν τοῦ φυσικοῦ εἰδέναι, καὶ εἰς πάσας ἀνάγων τὸ διὰ τί ἀποδώσει φυσικῶς, τὴν ὕλην, τὸ εἶδος, τὸ κινῆσαν, τὸ οὗ ἕνεκα· ἔρχεται δὲ τὰ τρία εἰς τὸ ἓν πολλάκις.

sola conditione licuit, definitionem ad syllogismi formam revocare, quia postulat syllogismi natura, ut medium, in quo causa inesse debet et conclusio non ita coeant, ut reciprocari possint) non ea amplectitur, quae proprie substantiarum numero habentur, sed attributa quae rem necessario sequuntur, quaeque vel ex ipsa substantia, vel ex alio attributo, ut in exemplo defectus lunae, originem traxerunt. Haec, quamquam proprie non sunt substantiae, tamen per se considerata, et ex substantiae quasi ambitu exemta, ad substantiarum rationem accedunt. Cum his consentiunt, quae dicit in metaphysicis VII p. 133, 29 Bran. *καὶ γὰρ τὸ τί ἐστιν ἕνα μὲν τρόπον σημαίνει τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τόδε τί, ἄλλον δὲ ἕκαστον τῶν κατηγορουμένων, ποσόν, ποιὸν καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα.*

Quod attinet ad externam formam hujus definitionis, Aristoteles eam terminorum situ *θέσει* vel *πτώσει* a demonstratione differre dicit [1]). Definitio ponit rem universam, in syllogismo in membra quasi distractam, omniaque simul, ut ita dicam, in lucem profert; demonstratio autem alterum terminum alteri annectit, quam ob rem ab Aristotele continua appellatur [2]) p. 94, a, 6 *καὶ ὡδὶ μὲν ἀπόδειξις συνεχής, ὡδὶ δὲ ὁρισμός.*

Jam proximum genus definitionum, ut supra diximus, Aristoteles vult earum rerum esse, ad quas causae non extrinsecus accedant. Sicut enim nihil magis postulat in philosophia, quam ut cognitio nostra certis finibus teneatur, ultra quos non progrediendum sit, ita in rerum natura non infinitam esse statuit causarum catenam, sed reperiri, quae non ex peregrino fonte

---

[1]) p. 94 a, 2 et p. 94 a, 12.

[2]) Cf. d. anim. I, 3 p. 18, 8 Trendel. *ἀλλ᾽ οὐκ ἀνακάμπτουσί γε πάλιν ἐπ᾽ ἀρχὴν* (scili. *αἱ ἀποδείξεις*) *προςλαμβάνουσαι δ᾽ ἀεὶ μέσον καὶ ἄκρον εὐθυποροῦσιν.*

profecta, in semet ipsis causam habeant. Cp. IX p. 93 b, 21 ἔστι δὲ τῶν μὲν ἕτερόν τι αἴτιον, τῶν δ'οὐκ ἔστιν· ὥστε δῆλον ὅτι καὶ τῶν τί ἐστι τὰ μὲν ἄμεσα καὶ ἀρχαί εἰσιν. Hujusmodi sunt ea omnia, quae proprie substantiae vocari possunt. Hae enim, quum non ad alia relatae sibi ipsis quasi sufficiant et per se sint, fieri non potest, ut ex aliena quadam re causam repetant. Analytic. post. I, 4 p. 73 b, 5 ἔτι ὃ μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται ἄλλου τινός (scili. καθ' αὑτὸ λέγω) – – – ἡ δ'οὐσία καὶ ὅσα τόδε τί σημαίνει, οὐχ ἕτερόν τι ὄντα ἐστὶν ὅπερ ἐστίν. — Analyt. poster. I, 24 p. 85 b, 24 ᾧ γὰρ καθ' αὑτὸ ὑπάρχει τι, τοῦτο αὐτὸ αὑτῷ αἴτιον[1]). Ad has substantias Aristoteles definitionem primaria vi et absolute pertinere dicit. Metaphys. VII. p. 134, 24 Br. ἐκεῖνο δὲ φανερὸν ὅτι ὁ πρώτως καὶ ἁπλῶς ὁρισμὸς καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῶν οὐσιῶν ἐστιν. — Apparet autem, has definitiones ad syllogismi formam non redigi posse, tum quia principia sunt demonstrationum, tum quia nullum medium adest, ex quo demonstrari possit[2]).

Summa lex est definitionum, ut ex iis haustae sint, quae sunt per se priora. Illa definitio, quam supra exposuimus, etsi hanc legem sequeretur, tamen non fugit, eam sic inventam esse, ut experientia antecederet et ad causam indagandam mentem quasi impelleret et excitaret. Jam nunc res videtur aliter se habere. Quum causa a re ipsa non differat, necessarium esse videtur, et hanc et illam simul percipere. Quam ob rem ejusmodi definitiones non eadem lege atque illas confici, sed sola mentis agitatione inveniri posse, facile aliquis conjiciat. Aristoteles partim id

---

[1]) Cf. Metaphys. V, p. 112, 26 Br.

[2]) p. 94 a, 9 ὁ δὲ τῶν ἀμέσων ὁρισμὸς θέσις ἐστὶ τοῦ τί ἐστιν ἀναπόδεικτος.

concedit menti, partim aliam rationem leviter indicat; eas enim res, quae medio expertes sint, ita sese habere dicit, ut et esse et quid sit supponi aut alia ratione manifesta reddi oporteat. pg. 93 b, 23 ἃ (sc. ἄμεσα) καὶ εἶναι καὶ τί ἐστι ὑποθέσθαι δεῖ ἢ ἄλλον τρόπον φανερὰ ποιῆσαι. — Ultima haec verba obscura sunt; nam quaeritur, quae sit altera ratio, quae significatur. Quibus verbis nescio an ea, quae leguntur de anima I, 1, 8 Trendel. lucem afferant, nostroque loco tanquam apta explicatio addi possint. Ἔοικε δ' οὐ μόνον τὸ τί ἐστι γνῶναι χρήσιμον εἶναι πρὸς τὸ θεωρῆσαι τὰς αἰτίας τῶν συμβεβηκότων ταῖς οὐσίαις — — ἀλλὰ καὶ ἀνάπαλιν τὰ συμβεβηκότα συμβάλλεται μέγα μέρος πρὸς τὸ εἰδέναι τὸ τί ἐστι· ἐπειδὰν γὰρ ἔχωμεν ἀποδιδόναι κατὰ τὴν φαντασίαν περὶ τῶν συμβεβηκότων ἢ πάντων ἢ τῶν πλείστων, τότε καὶ περὶ τῆς οὐσίας ἕξομεν λέγειν κάλλιστα. — Aristoteli persuasum est, ut saepe vidimus, inductionem vel experientiam notioni declarandae non sufficere; haec enim mentis vi et facultate comprehenditur, quae sola id cernit, quod generalem rei efficit naturam. Etsi hoc verissimum sit, tamen non neglexit Aristoteles, nostram cognitionem ita comparatam esse, ut experientia supersedere non possit. Substantiae, quam recludere vult definitio nostra, non talis natura est, ut in hanc rerum conditionem non descendat, neque habeat, in quibus quasi vita et actio ejus cernatur. Definienti igitur videndum est, ut haec acute percipiat, quo facto ad illam cognoscendam aditus patebit. Exemplum afferamus. Animae notio singulis ejus facultatibus quasi manifesta redditur, et oculorum judicio subjicitur. Quo quis magis autem has observare et intelligere potuerit, eo facilius ad intimam et absconditam animae naturam penetrabit, ex qua singulae facultates tanquam ex communi fonte originem traxerunt.

Itaque non habemus, cur ad hanc definitionem inveniendam Aristotelem discessisse putemus a via et ratione, quam antea probaverat, nisi forte hoc interesse judicas inter utramque definiendi rationem. Illic res erat sensu percepta, quae mentem ad notionem investigandam procedere cogebat; hic potissimum id agitur, ut generalis notio mente praecepta iis, quae sensibus apparent, probetur et confirmetur. —

Restat duplex genus definitionum, quod describamus, alterum, quod nomen explicat, alterum, quod mera continetur conclusione. Has quidem, si accurate dividamus, non dignas esse, quae definitionum numero habeantur, facile est intellectu. Etsi ipse igitur Aristoteles definitionibus illas annumerat, tamen ita facit, ut eas, quod vitiosae sint, reprehendat.

Primum igitur exprimere potest definitio, quid significet nomen [1]). Ejusmodi si est nominis explicatio, duplex ratio esse potest, qua rem unam constituat. Aut enim partes sumit talis oratio et conjungit, aut unum, quod non casu accedit, de uno pronuntiat [2]). Si quis quaerit, quid sit Ilias, respondeas licet: liber qui constat ex viginti quatuor carminibus, vel quid sit pluvia: humor. Haec nominis descriptio aliquam certe notitiam praebere potest, quoniam lingua tacito quodam sensu commota nomina ab iis depromere solet, quae rem necessario sequuntur. Neque vero hoc sibi sumere debet, ut rei naturam patefaciat. Aristoteles eam vituperat topic. 1, 5 *ὅσοι δ᾽ ὁπωςοῦν ὀνόματι τὴν ἀπόδοσιν ποιοῦνται, δῆλον, ὡς οὐκ ἀποδιδόασιν οὗτοι*

---

[1]) analyt. post. II. Cap. X. *φανερὸν ὅτι ὁ μέν τις ἔσται λόγος τοῦ τί σημαίνει τὸ ὄνομα ἢ λόγος ἕτερος ὀνοματώδης.*

[2]) analy. post. II. Cap. X. *λόγος δ᾽ εἷς ἐστὶ διχῶς, ὁ μὲν συνδέσμῳ, ὥσπερ ἡ Ἰλιάς, ὁ δὲ τῷ ἓν καθ᾽ ἑνὸς δηλοῦν μὴ κατὰ συμβεβηκός* cf. Metaphy. p. 134, 27 Br.

τὸν τοῦ πράγματος ὁρισμὸν, ἐπειδὴ πᾶς ὁρισμὸς λόγος τις ἐστιν. Metaphy. p. 133, 15 Bra. ὁρισμὸς δ' ἐστὶν οὐκ ἂν ὄνομα λόγῳ ταὐτὸ σημαίνῃ (πάντες γὰρ ἂν εἶεν οἱ λόγοι ὅροι — —) ἀλλ' ἐὰν πρώτου τινὸς ᾖ.

Quo in genere definitionum, quum id desideretur, quod rei notio fere non attingitur, haec, de qua nunc agemus, definitio propterea reprehenditur, quia ad notionem declarandam non sufficit. Prima quidem definitio, ut supra ostendimus, similis erat universi syllogismi, in quo causa termini medii locum tenebat. Ut syllogismo autem, cui terminus medius non inest, nihil efficitur, ita definitione, nisi causam contineat, quid res sit, illustrari non poterit. Jam igitur definitio, termino medio praetermisso, nihil erit, nisi mera conclusio; p. 94 a, 7 ἔτι ἐστὶν ὅρος βροντῆς ψόφος ἐν νέφεσι. τοῦτο δ' ἐστὶ τῆς τοῦ τί ἐστιν ἀποδείξεως συμπέρασμα [1]). Quam ob rem vituperat Aristoteles hanc definitionem de anima II, 2 Tr. Non solum τὸ ὅτι, inquit, significare debet definitio sed etiam causam in ipsa inesse et apparere oportet; definitiones autem, quales esse solent, ut conclusiones sunt [1]). Neque minus nostro loco respondent, quae dicit Metaphys. p. 171, 28 Br. — — ἀλλ' ἄδηλος ἂν μὴ μετὰ τῆς αἰτίας ᾖ ὁ λόγος. οἷον τί ἔκλειψις; στέρησις φωτός. ἐὰν δὲ προςτεθῇ τὸ ὑπὸ γῆς ἐν μέσῳ γιγνομένης, ὁ σὺν τῷ αἰτίῳ λόγος οὗτος.

CAP. III.

Exposita definitionis natura, ad eam quaestionis nostrae partem deducimur, in qua de via et ratione, qua definitio quaerenda sit, accuratius disputandum est. Aristoteles diligenter hac de re egit in analyticis

---

[1]) cf. analyt. post. I, 8 p. 75, b, 30.

[2]) cf. Trendelenb. comment. d. anim. addenda.

(Cap. XIII), quibuscum non inutile erit ea conjungere, quae in topicorum libro sexto et septimo de definitione afferuntur. Haec enim, etsi praecipue ad vitia cavenda scripta sint, non pauca continent, quae rei nostrae lucem adhibent.

Quoniam notioni, in qua explicanda definitio versatur, ab Aristotele ea vis tribuitur, ut rem, in qua inest tanquam lex et causa, antecedat [1]), perspicuum est, neminem recte definiturum esse, nisi ab iis profectus erit, quae sunt simpliciter priora et notiora. Unaquaeque definitio hac nititur lege et ratione, ut Aristoteles in topicis [2]) eam imprimis tenendam esse censeat. Itaque vult nos discernere inter ea, quae natura et ea, quae nobis sunt notiora et priora [3]). Natura prior et notior est linea, quam planum et planum quam corpus; res autem, si ad nostram respicis cognitionem, interdum plane invertitur [4]), quaeque natura sunt notiora nobis videntur abscondita esse atque remota. Nam corpus facilius a nobis comprehendi posse videtur, quam planum, quamvis hoc revera et prius et notius sit. Ea enim, quae sub sensus cadunt, plerumque notiora esse solent, quam rerum principia et causae; illa quidem omnium oculis obtruduntur, haec vero nonnisi acriori cogitatione possunt comprehendi [5]). Definitionem oportet semper ex iis repetere, quae na-

---

[1]) cf. Metaphy. VII. p. 140, 5 Br. et Trendelenb. in museo Rhen. II. p. 479.

[2]) topic. VI, 4.

[3]) cf. analyt. poster. I, 2. p. 71 Bek. *πρότερα δ᾽ἔστι καὶ γνωριμώτερα διχῶς· οὐ γὰρ ταὐτὸν πρότερον τῇ φύσει καὶ πρὸς ἡμᾶς πρότερον, οὐδὲ γνωριμώτερον καὶ ἡμῖν γνωριμώτερον.* ef. ethic. Nicom. I, 2; Metaphys. VII. p. 132, Br. 1.

[4]) topic. VI, 4. p. 141 *ἡμῖν δ᾽ἀνάπαλιν ἐνίοτε συμβαίνει.*

[5]) ibid. *τὰ μὲν γὰρ τῆς τυχούσης τὰ δ᾽ἀκριβοῦς καὶ περιττῆς διανοίας καταμαθεῖν ἐστίν.* cf. analy. post. I, 2.

tura sunt notiora et priora; his enim neglectis definitio rei causam et notionem non explicaret. Fieri quoque posset, ut topica docent [1]), nisi haec esset lex definiendi, ut multae ejusdem rei exsisterent definitiones; nam non solum aliis alia sunt notiora, sed etiam iisdem hominibus diversa diversis temporibus; primum quidem, quae sub sensus cadunt, deinde contraria, postquam ad mentis pervenerunt sagacitatem. Aristoteles tres definiendi modos describit, quos, quoniam ex prioribus non ducti sint, reprehendit [2]).

Primum cavendum esse censet, ne opposita per opposita definiantur, velut bonum per malum; opposita enim, quia eodem genere comprehenduntur, natura simul exsistunt [3]). Neque tamen neglexit, nonnulla esse, quae aliter definiri non possint. Quaecunque enim natura vel per se ad aliquid referuntur, sine hoc intelligi nequeunt, velut duplum non sine dimidio. Talium enim rerum natura in eo posita est, ut ad aliquid quodammodo relata et affecta sint [4]).

Porro ne quis, quod definiendum est, in ipsa definitione adhibeat, videndum est. Hoc vitium obtegitur, si quis nomen commutarit, notionem vero retinuerit. Velut si quis solem definivit astrum die perspicuum, idem per idem definivit; nam qui die utitur, utitur sole, quoniam solis super terram motum diem appellamus. Cujusmodi vitia, quo facilius deprehendantur, pro nomine oportet poni notionem.

Denique eorum, quae divisione inter se opposita

---

[1]) p. 141, b, 34.

[2]) topi. p. 142 a, 22 *Τοῦ δὲ μὴ ἐκ προτέρων τρεῖς εἰσὶ τρόποι.*

[3]) p. 142 a, 24 *ἅμα γὰρ τῇ φύσει τὰ ἀντικείμενα.*

[4]) l. l. *πᾶσι γὰρ τοιούτοις ταὐτὸν τὸ εἶναι τῷ πρός τί πως ἔχειν.*

sunt, alterum per alterum non definiendum est [1]. Tale vitium committunt, qui impar id esse dicant, quod unitate majus est, quam par. Omnia enim, quae ex eodem genere divisione inter se opponuntur, ut opposita (ἀντικείμενα) simul exsistunt natura ita, ut alterum per alterum cognoscere non liceat.

Haec lex, de qua egimus, omnem definiendi rationem ita amplectitur, ut suo jure primo loco poni potuerit. Qua exposita nascitur quaestio, quae via sit nobis ingredienda, ut ad fontem illum ascendamus, ex quo solo definitio hauriri debet. Hoc si quaerimus, utile erit, in memoriam reducere, quae supra in universum de definitione disputata sunt. Ostendimus, duplicem ab Aristotele rationem indicatam esse, quarum altera ab iis, quae nobis sunt priora, ad notionem simpliciter priorem procederet, altera a notione mente praecepta ad res sensibus oblatas proficisceretur. Ambae rationes in utraque definitione conjunctae sese invicem ita confirmabant, ut ad idem efficiendum quasi concurrerent. — Jam si singula inspicimus, quae Aristoteles de invenienda definitione in analyticis (Cp. XIII) tradiderit, non possumus, quin easdem rationes in iis deprehendamus. Duplicem ibi viam proponit ad definitionem quaerendam, divisionem (p. 96 b, 15 sq.) et inductionem (p. 97 b, 7 seq.), quarum haec a singulis quibusque ad notionem illustrandam progreditur, illa ex universo genere rem repetere studet.

Primum agimus de divisione. Unaquaeque divisio quum a genere ad formas descendat, ab iis proficiscitur, quae sunt simpliciter priora et notiora; genus enim tanquam universalis causa formas et individua com-

---

[1] topic. p. 142 b, 7 πάλιν εἰ τῷ ἀντιδιῃρημένῳ τὸ ἀντιδιῃρημένον ὥρισται.

[2] l. l. ἅμα γὰρ τῇ φύσει τὰ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀντιδιῃρημένα.

plectitur. Aristotelem generi eam vim tribuere, hi loci testantur: topic. VI p. 142 b, 27 *τὸ δὲ γένος βούλεται τὸ τί ἐστι σημαίνειν, καὶ πρῶτον ὑποτίθεται τῶν ἐν τῷ ὁρισμῷ λεγομένων;* ibid. p. 143 a, 18 *ἡ γὰρ οὐσία ἑκάστῳ μετὰ τοῦ γένους* Metaphys. III p. 49, 2 Br. *ἡ δ' ἕκαστον μὲν γνωρίζομεν διὰ τῶν ὁρισμῶν, ἀρχαὶ δὲ τὰ γένη τῶν ὁρισμῶν εἰσίν, ἀνάγκη καὶ τῶν ὁριστῶν ἀρχὰς εἶναι τὰ γένη.* Hoc loco, ubi quaestio instituitur, utrum genera principia sint, nec ne, sumitur tanquam concessum, genera esse principia definitionum. Topic. VI, 4, p. 141 b, 25 et genera et differentias, quae quidem conjuncta rei naturam constituunt, formis simpliciter priora et notiora esse dicit; — — — *εἴπερ δεῖ μὲν διὰ τοῦ γένους καὶ τῶν διαφορῶν ὁρίζεσθαι τὸν καλῶς ὁριζόμενον, ταῦτα δὲ τῶν ἁπλῶς γνωριμωτέρων καὶ προτέρων τοῦ εἴδους ἐστίν.* — Qua de causa non verendum est, ne temere hanc viam cum illa comparemus, quae ab universali notione proficiscebatur, quamquam non fugit, divisionem omnino invalidam esse, nisi experientia adjuta sit.

Ex iis, quae supra diximus, apparet, Aristotelem divisioni non id concedere, ut, quid res sit, demonstret. Etsi hoc teneat, tamen non omnino spernit divisionem, sed eam permultum valere dicit ad justam definitionem instituendam. Illic perstrinxit Platonem, quia nimiam divisioni tribueret auctoritatem, hic impugnat discipulum ejus Speusippum, qui totam hanc cognoscendi rationem in dubium vocaverit [1]). Hujus quidem hoc ar-

---

[1]) analyt. post. II. p. 97 a, 7 Speusippum, etsi non aperte nominet, tamen sine dubio tetigit. Cf. Themistium ad h. l. in schol. *Σπεύσιππος δὲ οὐ καλῶς λέγει φάσκων ἀναγκαῖον εἶναι τὸν ὁριζόμενον πάντα εἰδέναι „δεῖ μὲν γάρ" φησίν „γινώσκειν τὰς διαφορὰς αὐτοῦ πάσας, αἷς τῶν ἄλλων διενήνοχεν".* — Speusippum de divisionibus scripsisse tradit Diogenes Laert. 4, 5.

gumentum affert. Fieri nequit, ut, qualis res sit, cognoscas, nisi cognitas habeas differentias, quibus differat a ceteris quibusque rebus. Quarum quidem, ut nullam praetermittas, necesse est, ut omnes res completa scientia amplectaris. Quum nemo autem sibi vindicare possit hanc scientiam, sequitur, ut tota haec ratio cognoscendi sit repudianda. Aristoteles hanc sententiam primum ita refellit, ut universe prolatam ex parte falsam esse doceat. Neque enim quaevis differentia propriam rei naturam constituit [1]), quia iis rebus, quae eadem specie continentur, multas differentias inesse constat, quae non ad substantiam pertineant. — Si illae vero differentiae (hoc modo dubitatio illa omnino rejicitur) quae certam rei naturam efficiunt, investigantur, nihil opus est, singulae res cognoscantur, a quibus res definita distinguitur. Sufficit *διχοτομία* [2]). Nam si quis genus dividit in formas oppositas, ut omnia in alterutram partem discendant, simulque cognoscit, rem, quae definienda est, cadere sub hanc partem, nihil refert, utrum sciat an ignoret, quae sint singula quaeque, quae altera divisionis parte comprehenduntur. Quodvis autem in divisionem cadere non arbitrario postulatur, siquidem vera et prima differentia ad genus adducitur [3]). —

Jam si quaerimus, quid commodi habeant divisiones ad definitionem instituendam, haec potissimum sunt afferenda. Primum Aristoteles commendat divisionem,

---

[1]) p. 97 a, 11 *πρῶτον μὲν οὖν τοῦτο ψεῦδος. οὐ γὰρ κατὰ πᾶσαν διαφορὰν ἕτερον* cf. Porphyrii isagogen Cap. III.

[2]) p. 97 a, 14 Hoc loco *διχοτομίαν* tanquam utilem commendat; alio (d. partib. anim. 1, 219) quid habeat incommodi, significat. Cf. Trendelenb. elem. log. Aristol. §. 58.

[3]) p. 97 a, 19.

quia efficiat, ut justo ordine attributa collocentur [1]). Id vero tunc consequimur, quum primum genus sumimus, quod quidem hujusmodi erit, ut omnia sequatur, ipsum vero non omnia sequantur [2]). Velut ad animal non pertinet habere alas aut scissas aut continuas, sed ad animal alatum; quodvis autem animal scissis alis instructum animalis genere comprehenditur. Ceterarum formarum sive generum omnino eadem est ratio; prout quidque est magis universale, ita priori loco ponatur, necesse est. Hac ratione si ad ultimas formas descendas, nullum dubium est, quin justum ordinem observes. —

Altera utilitas divisionis ab Aristotele in eo ponitur, quod per eam fit, ut omnia enumerentur, quae necessario rem consequuntur, neque ullum relinquatur [3]). Inde patet, si id agitur, ut notio quaedam per omnes quasi partes consideretur, definitionem sine divisione vix institui posse. Si quis enim, primo genere sumpto, ita procederet, ut proxima forma neglecta, inferiorem acciperet, notionis, ut ita dicam, circuitum non recte circum scriberet. Justam vero divisionem instituens facile cavebit, ne aliquid praetermittat. Summo enim genere in formas diviso, formae, adjectis differentiis, denuo dividuntur, et quidem eo usque procedet divisio donec ultima forma apparuerit. Ad hanc autem nova differentia accedere non potest; nam si accederet, forma non ultima esset, sed statim nova exsisteret. Tali proposita divisione nemini non persuasum erit, neque quid-

---

1) p. 96 b, 30 *διαφέρει δέ τι τὸ πρῶτον καὶ ὕστερον τῶν κατηγορουμένων κατηγορεῖσθαι.*

2) p. 97 a, 28 *τὸ δὲ τάξαι ὡς δεῖ ἔσται, ἐὰν τὸ πρῶτον λάβῃ· τοῦτο δ' ἔσται, ἐὰν ληφθῇ ὃ πᾶσιν ἀκολουθεῖ, ἐκείνῳ δὲ μὴ πάντα —*

3) p. 96 b, 35 *ἔτι πρὸς τὸ μηδὲν παραλιπεῖν ἐν τῷ τί ἐστιν οὕτω μόνως ἐνδέχεται.*

quam deesse in definitione neque adjectum esse, quod abundet[1]).

His in divisionibus singulae formae ita condebantur, ut ex genere et differentiis quasi componerentur; quo fit, ut Aristoteles unamquamque definitionem genere et differentia declarandam esse censeat. Topic. I, 8 *ὁ ὁρισμὸς ἐκ γένους καὶ διαφορῶν ἐστίν.* Qua in re quum maximi momenti sit, recte et accurate eligere differentias, ea non praetermittenda sunt, quae in sexto topicorum libro ab Aristotele de differentiis traduntur. Haec enim et ea, quae supra ex altera hujus libri parte attulimus, maxime digna esse videntur, quae accuratius inspiciantur. — Primum admonet Aristoteles[2]), ut generis sumantur differentiae, quum nihil definiri possit, nisi propriae differentiae adductae sint. Hae quidem differentiae, oportet in divisione habeant aliquid oppositum; nam omne genus iis dirimitur differentiis, quae sibi invicem in divisione opponuntur[3]). Quum tales esse debeant, addere licet, eas ex una eademque re petendas esse[4]). Velut in exemplo, quod nostro loco legimus, animalium differentiae (*πεζά, πτηνά, ἔνυδρα*) ex locis, ubi vitam gerunt, ductae sunt. Cujusmodi differentiae, si ad genus accedunt, speciem

---

1) In divisione curandum esse, ut attributa eligantur, quae spectent ad rei notionem. non opus est, pluribus exponere. Cf. p. 97 a, 24.

2) Topic. VI, Cp. 6 p. 143 a, 29 *σκεπτέον, εἰ καὶ τὰς διαφορὰς εἶπε τὰς τοῦ γένους.*

3) l. c. *ὁρᾶν δὲ καί, εἰ ἔστιν ἀντιδιῃρημένον τι τῇ εἰρημένῃ διαφορᾷ· εἰ γὰρ μή ἐστι, δῆλον ὅτι οὐκ ἂν εἴη ἡ εἰρημένη τοῦ γένους διαφορά· πᾶν γὰρ γένος ταῖς ἀντιδιῃρημέναις διαφοραῖς διαιρεῖται.*

4) Illam rem nostri logici fundamentum divisionis appellare solent. Si hoc volunt sibi constare in divisionibus, Aristoteles idem praecipit, quum omne genus *ἀντιδιῃρημέναις διαφοραῖς* dividi jubeat.

quasi procreant, unde factum est, ut Aristoteles justam generis differentiam specificam (*εἰδοποιός*) appellaret.[1]) Quam ob rem illam definiendi regulam accuratius sic describere licebit, ut omnem rem genere et differentia specifica definiendam esse dicamus. — Quum igitur tales oporteat quaeri differentias non sufficit definire per solam negationem[2]), id, quod ii faciunt, qui lineam definiunt esse longitudinem latitudine carentem. — Quem in errorem quidem illos non incidere dicit Aristoteles, qui in privationibus utuntur negatione. Id enim caecum est, quod visum non habet, quando natura est ita comparatum, ut habere debeat. — Differentiae quum certam rei naturam constituant, magnopere cavendum est, ne ea, quae casu rei adhaereant, iis annumeremus.[3]) Itaque non licitum est, affectionem tradere differentiam.[4]) Quaevis enim affectio, quando increvit, ut res in alienam abeat naturam, efficit; differentia autem potius servare videtur id, cujus est differentia. Omnia igitur, quae rei efficiunt alienationem, ab ejus differentiis sunt secludenda.

Hoc quidem loco quaestio est commemoranda, saepius ab Aristotele tractata, qua in re situm sit, ut unum evadant genus et differentiae, quibus conjunctis definitio declaratur? Id nisi contingeret, neque formae gignerentur, neque definitiones essent. *Ὁ γὰρ ὁρισμὸς λόγος τίς ἐστιν εἷς καὶ οὐσίας.* Cur igitur animal bipes, si haec est hominis definitio, unum est,

[1]) Topic. VI, 6. p. 143, b. 8 *πᾶσα γὰρ εἰδοποιὸς διαφορὰ μετὰ τοῦ γένους εἶδος πόιεῖ.*

[2]) Topic. p. 143 b, 11 *ἔτι ἐὰν ἀποφάσει διαιρῇ τὸ γένος* etc.

[3]) ibid. p. 144 a, 23 *οὐδεμία γὰρ διαφορὰ τῶν κατὰ συμβεβηκὸς ὑπαρχόντων ἐστίν.*

[4]) ibid. p. 145 a, 3 *πάλιν εἰ τὸ πάθος διαφορὰν ἀποδέδωκεν πᾶν γὰρ πάθος μᾶλλον γινόμενον ἐξίστησι τῆς οὐσίας, ἡ δὲ διαφορὰ οὐ τοιοῦτον* ete.

non multa, animal et bipes? Hoc si quaerimus, non in eo est acquiescendum, ut genus particeps esse dicatur differentiarum;[1]) id enim ipsum incertum est, unde fiat, ut unum genus, quod sibi constans est, cum contrariis differentiis ineat societatem? Aristoteles in metaphysicis[2]) quaestionem ita solvit, ut ad eas notiones confugiat, quibus summam in philosophia tribuit auctoritatem. Sicut notionem vult ita comparatam esse, ut indefinitae materiae sit forma, similiter in ipsa notione generi materiae, differentiis formae dedit partes.[3]) Quodsi tale est utriusque vinculum, quaestio illa plane abscinditur; materia enim et forma sese invicem ita expetunt et postulant, ut cogitatione quidem, non re ipsa possint separari. Jam in definitione, quae ex divisione colligitur, quum nihil insit, nisi quod primum appellatur genus et differentiae[4]) (singulae enim formae ex summo genere et differentiis oriuntur) apparet, ei propositum esse, ut summo generi tanquam materiae differentias, in quibus spectatur forma, adducat. Aristoteles appellat igitur definitionem *τὸν ἐκ τῶν διαφορῶν λόγον.*[5]) Haec tamen non satis accurate dicta sunt. Oportet enim, ut exponit, differentiam in differentias dividi, in dividendo autem eo usque procedi, donec nova differentia non eluceat. Hae differentiae, si quidem ex uno divisionis fundamento ductae sunt, in divisione

---

[1]) Metaphy. VII. p. 153, 18 Br. *τὸ γὰρ γένος οὐ δοκεῖ μετέχειν τῶν διαφορῶν.* —

[2]) VII. p. 153 sq. Br.

[3]) VII. p. 154, 11 Br.; VIII. p. 167, 31 *ἔοικε γὰρ ὁ μὲν διὰ τῶν διαφορῶν λόγος τοῦ εἴδους καὶ τῆς ἐνεργείας εἶναι, ὁ δ᾽ ἐκ τῶν ἐνυπαρχόντων τῆς ὕλης μᾶλλον·* de partib. anim. I, 3. *ἔστι δὲ ἡ διαφορὰ τὸ εἶδος ἐν τῇ ὕλῃ.*

[4]) VII. p. 154, I. *οὐδὲν γὰρ ἕτερόν ἐστιν ἐν τῷ ὁρισμῷ πλὴν τό τε πρῶτον λεγόμενον γένος καὶ αἱ διαφοραί.*

[5]) VII. p. 154, 15.

sese ita habebunt, ut posterior priorem contineat et amplectatur. Itaque satis erit, si ultimam differentiam in definitione tradideris, ut accuratius definitio ab Aristotele significetur λόγος ὁ ἐκ τῶν διαφορῶν καὶ τούτων τῆς τελευταίας κατά γε τὸ ὀρθόν.[1])

Supra vidimus, divisionem utilitati esse, si id agatur, ut notio quaedam per omnes quasi partes consideretur. Analyt. poster. II. p. 96, b, 15. Aristoteles viam quandam in divisione positam indicavit, qua id consequeremur. Hic locus autem brevitate adeo obscurus est, ut accurate et copiose explicari debeat.[2]) Verba haec sunt: Χρὴ δέ, ὅταν ὅλον τι πραγματεύηταί τις διελεῖν τὸ γένος εἰς τὰ ἄτομα τῷ εἴδει τὰ πρῶτα, οἷον ἀριθμὸν εἰς τριάδα καὶ δυάδα, εἶθ' οὕτως ἐκείνων ὁρισμοὺς πειρᾶσθαι λαμβάνειν, οἷον εὐθείας γραμμῆς καὶ κύκλου καὶ ὀρθῆς γωνίας, μετὰ δὲ τοῦτο λαβόντα τί τὸ γένος, οἷον πότερον τῶν ποσῶν ἢ τῶν ποιῶν τὰ ἴδια πάθη θεωρεῖν διὰ τῶν κοινῶν πρώτων. — Jam primum, quid significet illud ὅλον τι, ex verborum contextu facile intelligitur. In antecedentibus enim de singulis rebus disputavit, quomodo definiri debeant, nunc, quid agendum sit, ostendit, si quis totum aliquod, quod dividi potest in formas et in formarum formas accurata scientia amplecti voluerit. Quem in finem commendat divisionem, sine qua talis definitio vix exsistere potest.[3]) Quodsi

---

[1]) Meth. VII. p. 155, 7. Vix addi oportet, his verbis genus a definitione non omnino excludi, etsi ad materiae vim redactum sit. — Verba κατά γε τὸ ὀρθὸν ut ex allatis exemplis apparet, ad praeceptum spectant, ut differentiae ex una eademque re petantur.

[2]) Biesius (l. c. p. 307 sq.) etsi locum silentio non praetermittat, tamen incerta quadam oratione rem velavit potius, quam illustravit. — Quae Julius Pacius in commentario analytico ad hunc locum scripsit, ea non magis possum probare.

[3]) χρὴ διελεῖν τὸ γένος· γένος non est genus τοῦ ὅλου, id quod

igitur totum, quod definiendum tibi proposuisti, numerus est, jam id praecipitur, ut numerus, quatenus est genus, in formas dividatur. Haec divisio autem eo usque procedat necesse est, donec formae sint ultimae neque amplius dividi possint. Postquam ita divisio ad ultimas, vel ut hoc loco appellantur, primas generis formas descendit, formarum definitiones sumendae sunt[1]) nimirum ex genere et differentiis. Qua re facta quum id agatur, ut ipsum *ὅλον* accurata definitione complectamur, ipsius *ὅλον* genus sumendum est. Si igitur numerum definiendum tibi sumpseris, quaeritur, quid sit numeri genus, *πότερον τῶν ποσῶν ἢ τῶν ποιῶν?* — Genere proposito, quum propriae affectiones (*ἴδια πάθη*) vel differentiae *τοῦ ὅλου* afferendae sint, unde putas has ducendas esse, nisi ex ultimis formis, quae communes sunt *τῷ ὅλῳ*, quibusque hujus differentiae continentur?[2]) — Formarum autem, quae interpositae sunt

---

postea apparebit, sed ipsum *ὅλον*; nam omne *ὅλον*, qua *ὅλον* est, genus est et formas complectitur.

[1]) *εἶθ' οὕτως ἐκείνων* etc. — *οὕτως* nescio, quo trahi possit, nisi ad ea, quae paullo antea de quaerenda definitione praeceperat, ut paene sit: ut praescriptum erat. Hoc loco nova exempla *τῶν ἀτόμων* affert (*οἷον εὐθείας γραμμῆς* etc.); horum enim prorsus eadem est ratio, quae illorum (*εἰς τριάδα* etc.), etsi ad diversa genera pertineant. Ipsae quidem formae non ita comparatae esse possunt, ut liceat alteram altera notione priorem appellare, id, quod Biesio placuit, qui Aristotelem hac in enuntiati parte praecipere existimat, ut illae definiantur formae, quae sint notione priores. Quo enim jure notione prior nominari potest recta linea, quam curva? Ambae sunt *ἄτομα τῷ εἴδει*. Meminimus autem Aristoteli persuasum esse, ea omnia, quae in divisione inter se opposita sint, natura simul exsistere, ut alterum per alterum non sit definiendum Topic. VI. 4. *ἅμα γὰρ τῇ φύσει τὰ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀντιδιῃρημένα* et ibid. *ἅμα γὰρ τῇ φύσει τὰ ἀντικείμενα*. Cf. analyt. post. I, 4. p. 73, b, 16. Bek.

[2]) Haec igitur nobis videntur supplenda esse: *Μετὰ δὲ τοῦ-*

inter primum genus et inter ultimas differentias propterea ratio non habenda est, quia una cum ultimis formis comprehenduntur.[1]) Ut omnia paucis verbis complectar, primum curandum est, ut totum illud in ultimas formas dividas, deinde, ut formarum sumas definitiones. Ex quibus, quum bene trahantur totius rei differentiae, hujus genus addendum est; neque quidquam prohibet, quin totum illud justa definitione describatur. Jam proxima[2]) verba nescio an ita cum antecedentibus cohaereant. Quum ad totum aliquod definiendum necessarium esset, ex ultimis formis differentias quasi colligere, nihil refert, omnes formas ex iis compositas comprehendere. Hae enim manifestae redduntur illarum simplicium formarum definitionibus. Nam solis simplicibus, quae his formis continentur, et definitionibus aperiuntur, per se inesse possunt accidentia, ceteris ratione illorum. Aristoteles exempla attulerat a rebus mathematicis deprompta, et quidem primum numeri exemplum. Ad numerum autem definiendum sufficit differentias sumere ex iis formis, quae dividi nequeunt velut ex numero binario et ternario; neque vero opus est, reliquos numeros ex iis compositos perlustrare, quoniam omnia accidentia iis insunt, quatenus ex illis compositi sunt. — Hac ratione id certe nobis conse-

---

το λαβόντα τί τὸ γένος (scil. *τοῦ ὅλου*) *τὰ ἴδια πάθη* (sc. *τ. ὅλου*) *θεωρεῖν διὰ τῶν πρώτων* (sci. *ἀτόμων τῷ εἴδει*) *κοινῶν* (sci. *τῷ ὅλῳ*).

[1]) cf. Metaphy. p. 154, 27 Br. *φανερὸν ὅτι ἡ τελευταία διαφορὰ ἡ οὐσία τοῦ πράγματος ἔσται καὶ ὁ ὁρισμός, εἴπερ μὴ δεῖ πολλάκις ταὐτὰ λέγειν ἐν τοῖς ὅροις· περίεργον γάρ· συμβαίνει δέ γε τοῦτο· ὅταν γὰρ εἴπῃ ζῷον ὑπόπουν δίπουν, οὐδὲν ἄλλο εἴρηκεν, ἢ ζῷον πόδας ἔχον, δύο πόδας ἔχον.*

[2]) anal. post. l. c. *Τοῖς γὰρ συντιθεμένοις ἐκ τῶν ἀτόμων τὰ συμβαίνοντα ἐκ τῶν ὁρισμῶν ἔσται δῆλα, διὰ τὸ ἀρχὴν εἶναι πάντων τὸν ὁρισμὸν καὶ τὸ ἁπλοῦν καὶ τοῖς ἁπλοῖς καθ᾽ αὑτὰ ὑπάρχειν τὰ συμβαίνοντα μόνοις, τοῖς δ᾽ ἄλλοις κατ᾽ ἐκεῖνα.*

quuti esse videmur, ut certam quandam interpretationem proposuerimus.

Exposita definitione, quae nititur divisionibus, sequitur, ut ad alteram definiendi rationem progrediamur, quae ab Aristotele in analyticis posterioribus II, 13, p. 97, b, 7 proponitur. Huic, etsi primo adspectu cum iis pugnare videatur, quae Aristoteles in topicis de definitione disseruit, revera nihil inest, quod ab his abhorreat. Per se quidem definitio proficiscitur ab universa notione, [1]) cui singula quaeque subjecta sunt; ad eam quaerendam vero nosmet magnopere juvabit, singula colligere et ab his ad illam ascendere. Aristoteles igitur nostro loco viam significat, qua facilius ad definitionem perveniamus, vel rationem suppeditat, quae menti nostrae succurrat. Divisio id egit, ut universum genus in formas distribueret. Hoc loco Aristoteles, quo facilius, quae multa sunt atque varia, in unum genus colligantur, viam quandam, inductione nitentem, proponit.

Facilius enim est singula quaeque definire, quam universa, quapropter a singulis ad universa transeundum esse censet. [2]) Jam via et ratio, quam proponit, haec est. Primum definienti videndum est, quid ea habeant commune, quae sunt similia neque inter se differunt. Quibus cognitis ad alia se convertat, quae inter se quidem specie consentiunt, ab illis vero quamvis sint eidem atque illa generi subjecta, specie diversa sunt. — Postquam quid haec habeant commune, inventum est, rursus ea, quae in utraque parte communia erant, considerari debent, num quodam modo consentiant, donec ad unam rationem perveniatur. Haec enim constituet rei definitionem.

---

[1]) analyt. post. II. p. 97 b, 26. *Αἰεὶ δ᾽ ἐστὶ πᾶς ὅρος καθόλου.*

[2]) analyt. post. II. p. 97 b, 28 *ῥᾷον τι τὸ καθ᾽ ἕκαστον ὁρίσασθαι ἢ τὸ καθόλου· διὸ δεῖ ἀπὸ τῶν καθ᾽ ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου μεταβαίνειν* cf. Ethi. Nico. I, 2.

Aristoteles rem illustrat exemplo ex historia deprompto. Si quaeritur, quid sit magnanimitas, aliqui, quos novimus, magnanimi considerandi sunt, velut Alcibiades et Achilles et Ajax, quid omnes, qua sunt tales, commune habeant. Quod quidem si in eo positum esse putas, quod contumeliam non perpetiebantur, rursus ad alios magnanimos viros migrandum est velut ad Lysandrum et Socratem. Quibus si commune est, eodem modo se gerere et in rebus secundis et in adversis, jam hoc comparari debet cum eo, quod illis viris commune erat. Illa autem notio, ad quam et haec et illa referuntur, genus erit, ex quo manabit rei definitio.[1])

Postquam duplicem definiendi viam et rationem exposuimus, superest, ut nonnulla addamus praecepta, quae in omni definitione observanda sunt. — Est gravissima lex notionis (*τ. τ. η. ε.*), ut ad certum aliquid

---

[1]) p. 97 b, 7 *ζητεῖν δὲ δεῖ ἐπιβλέποντα ἐπὶ τὰ ὅμοια καὶ ἀδιάφορα, πρῶτον τί ἅπαντα ταὐτὸν ἔχουσιν.*

[2]) l. c. *εἶτα πάλιν ἐφ᾽ ἑτέροις (δεῖ ζητεῖν) ἃ ἐν ταὐτῷ μὲν γένει ἐκείνοις, εἰσὶ δὲ αὐτοῖς μὲν ταὐτὰ τῷ εἴδει, ἐκείνων δ᾽ ἕτερα.*

[3]) Alia ratio quae definitioni instituendae inservit, est ratio excludendi. Hanc licet Aristoteles in analyticis disertis verbis non exposuerit, in ipsa philosophia tamen haud raro adhibuit. — In physicis (IV, 1 sq.) spatium definiturus, ut hoc exemplum afferamus, quatuor res proponit, quarum in spatio definiendo maxime sit ratio habenda, iisque examinandis eo pervenit, ut tres priores excludat, quippe quae parum respondeant rei quaesitae, quartam autem tanquam veram spatii notionis sedem deligat. Similiter procedit in imaginationis definitione (d. anim. III, 3). — Haec excludendi ratio, quamquam notionem non detegit, (nam ut aliquid excludere possimus, oportet, rei quaedam imago menti obversetur), tamen id consequitur, ut incertam imaginem certam et perspicuam reddat, ut notionem mente praeceptam approbet et stabiliat. Nam ea, quae exclusa sunt, inventam definitionem confirmant ejusque testes sunt, ut haec via et ratio cnm indirecta demonstratione comparari possit. Cf. Trendelenb. Logische Untersuchungen Th. II. S. 326 ff.

et undique definitum pertineat. Huic legi ut respondeat definitio, necesse est, rem propositam arctis quasi finibus circumscribat. — Quoniam vero singula quaeque, quae rei cuidam insunt, latius patent, quaestio oritur, qualia definitio arcessere debeat, ut certum aliquid efficiatur. Aristoteles in analyticis[1]) duplicem distinguit rationem, qua, quae semper insunt rei, latius patent.[2]) Aut ad talia ea dicit pertinere, quae eodem genere comprehendantur, aut ad talia, quorum sit diversum genus. Hujusmodi est *τὸ ὄν*, quod semper quidem numero inest ternario, praeterea vero aliis rebus, quae numeri genere minime continentur. Altera ratio imparis exemplo illustratur; impar enim, quum latius pateat, non solum ad numerum ternarium refertur, sed etiam ad quinarium, ad nihil autem, quod a numerorum genere alienum est. Ab illis quidem definitio abhorrebit, ut quae ad rem distinguendam nihil conferant; ea vero arripiet, quae, etsi latius pateant, generis tamen fines non egrediuntur. — Haec autem perfecta erit definitio, quae in his sumendis eo usque pervenerit, ut cuncta in aliam rem transferri nequeant, etsi singula quaeque ad plura pertineant.[3]) Talis enim definitio propriam et certam rei naturam explicabit.

Aristoteles rem illustrat hoc exemplo. Omni numero ternario inest numerus, impar, primum utroque modo, tum quia alius numerus eum non metitur, tum quia ex numeris non compositus est. Inde sequitur, ut ternarius sit numerus impar, primus et quidem ita primus. Neque ullum numerum habebis prae-

---

[1]) analyt. poster. II, 13 p. 96, a, 24 sq.

[2]) *λέγω δὲ ἐπὶ πλέον ὑπάρχειν, ὅσα ὑπάρχει μὲν ἑκάστῳ καθόλου οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἄλλῳ.*

[3]) p. 96 a, 32 *τὰ δὴ τοιαῦτα ληπτέον μέχρι τούτου, ἕως τοσαῦτα ληφθῇ πρῶτον, ὧν ἕκαστον μὲν ἐπὶ πλεῖον ὑπάρχει, ἅπαντα δὲ μὴ ἐπὶ πλέον· ταύτην γὰρ ἀνάγκη οὐσίαν εἶναι τοῦ πράγματος.*

ter ternarium, in quem simul haec omnia congruant, quamvis singula quaeque ad alios numeros referri possint. Hac definitione notio ejus et substantia continetur. Oporteret enim, nisi haec esset justa ternarii definitio, definitionem esse veluti genus quoddam (*οἷον γένος τι*) ac latius patere; in eo enim posita est generis natura, quod latius patet. Necesse esset igitur, illa definitio ad plura pertineret, quam ad solum numerum ternarium. Quum autem nihil aliud inveniatur, ad quod referri possit definitio illa, solam numeri ternarii notionem ea exprimi, perspicuum est.

Quodsi talis esse debet definitio, apparet, eas omnes vitiosas esse definitiones, quae latius pateant,[1]) quam res, quae definienda est, vel quae aliquid, quod rei inest necessario, omiserint. Et hoc et illud vitandum est definitioni, si apte et accurate rei naturam exprimere velit.

Aristoteles in topicis mira cum assiduitate in eo versatus est, ut vitia, quae committi possint in definiendo, enumeret. Quae quidem quum nimia esse videantur, quam quae omnia hunc in locum transferri possint, nonnulla tamen praeter ea sunt nominanda, quae jam in antecedentibus exposita sunt.

Quum in definitionibus id spectetur, ut res manifestae reddantur, prae ceteris videndum est, ne definitiones sint obscurae. Id, quum multis modis accidere possit, hi potissimum ab Aristotele nominantur. Primum obscura erit definitio, si homonymum in eam irrepserit.[2]) Homonyma autem ab Aristotele dicuntur, quae

---

[1]) Topic. VI, 3 de vitiis disputatur, quae committuntur, si quis latius et abundanter describit definitionem (*εἰ δ' ἐπὶ πλεῖον εἴρηκε τὸν ὅρον*). Dicit hoc tenendum esse, omnia esse supervacanea in definitionibus, quibus detractis reliqua rem definiant. — (*ἅπαν περίεργον, οὗ ἀφαιρεθέντος τὸ λοιπὸν δῆλον ποιεῖ τὸ ὁριζόμενον*).

[2]) Topic. VI, 2 *εἷς μὲν οὖν τόπος τοῦ ἀσαφῶς, εἰ ὁμώνυμόν ἐστί τινι τὸ εἰρημένον·* cf. analy. post. II, p. 97 b, 29.

communi quidem nomine vocantur, sed revera diversa sunt.[1]) Ut Aristotelis exemplum afferamus, si quis generationem definit deductionem ad substantiam (*ἀγωγὴν εἰς οὐσίαν*) homonymo utitur, et tantum abest, ut certam et perspicuam proferat definitionem, ut in medio relinquatur, quo sensu acceperit *ἀγωγήν*.

Simili obscuritate premuntur definitiones,[2]) si res ipsa, quae definienda est, etsi multis modis dicatur, non satis distinguitur et segregatur. — Porro obscurae sunt definitiones, si fiunt per translationes.[3]) Nam omnis translatio, etsi quodammodo illustret per similitudinem, tamen non accurate et definite rem circumscribit. — Nihil enim certi attulisse videtur, qui temperantiam concentum definiverit. —

Illae denique definitiones nihil declarant, quae talia afferunt, quae neque his modis, neque proprie dicta sunt.[4]) Quid enim valeret definitio, quae legem imaginem esse diceret eorum, quae natura justa sunt. Neque ulla enim similitudo intercedit inter imaginem, quae nascitur imitatione et legem, neque proprie accipi potest ista definitio. —

Haec quidem vitia sunt ejusmodi, ut statim manifesta fiant; attamen quis nescit, quam saepe committantur. —

---

[1]) categoriae I.

[2]) Topic. l. c. *ὁμοίως δὲ καὶ εἰ τοῦ ὁριζομένου πλεοναχῶς λεγομένου μὴ διελὼν εἶπεν.*

[3]) ibid. *ἄλλος, εἰ κατὰ μεταφορὰν εἴρηκεν* etc. cf. analyt. poste. II. p. 97 b, 37.

[4]) Topic. VI, 3.

PARS ALTERA.

Quum nobis propositum fuerit, definitionis naturam, qualis ab Aristotele tradita sit, exponere, rem ita peregimus, ut Aristotelis vestigia accurate persequeremur, ne alienum quid potius intrusisse, quam propriam philosophi rationem significasse videremur. — Jam novum munus est subeundum. Quum nulla pars philosophiae satis intelligi possit, nisi vinculum, quo cum finitimis conjuncta sit, perspectum habeas, ad definitionis doctrinam penitus intelligendam, necessarium esse videtur, ad illas philosophiae Aristotelicae partes accedere, quibuscum definitio arcte cohaeret. Vidimus, Aristotelem definitioni munus dedisse, notionem investigandi, quae rei naturae tanquam creatrix causa subesset. Itaque res postulare videtur, ut inquiramus, quae sit intima notionis natura, cujus imaginem definitio exprimere velit. — Porro, quum definiendi via et ratio nostrae mentis natura nitatur, gravissima quaestio oritur, qualis haec ab Aristotele sit constituta. Ut hanc solvamus, ad illos libros accedere debemus, in quibus Aristoteles mentis naturam pertractat. Haec fere sunt nobis relicta, quae explicentur, ut definitionis vim et naturam accuratius intelligamus.

CAP. I.

Aristoteles de notione in septimo metaphysicorum libro acute et subtiliter egit. Priusquam vero ad hunc ipsum accedamus, utile erit, de ratione, quae intercedit inter logica scripta et metaphysica, pauca praefari. Quaestio autem perdifficilis oritur, quia ipse Aristoteles rem potius significat, quam disertis verbis declarat.[1])

---

[1]) haec questio, quum digna sit, de qua pluribus et copiose

Potest quidem mirum esse, Aristotelem, dum res minutissimas copiose describit, in his quaestionibus ita versari, ut eas vel leviter attingat, vel omnino praetermittat. At cernitur hac in re quoque Aristotelis philosophandi ratio. Comparari potest Stagirita cum architecto, qui delineationem aedificii occultans, raro tantum, si tulerit occasio, singularum partium rationem paucis significat; opus est acri et attenta cogitatione, si velis harmoniam operis et concentum cognoscere.

Jam locus, qui plurimum valet ad rem nostram conficiendam legitur metaphys. *Γ*, 3 p. 1005 Bek.; p. 66 Br. Initio hujus libri primam philosophiam definiverat: *ἔστιν ἐπιστήμη τις ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν ᾗ ὂν καὶ τὰ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό· αὕτη δ' ἐστὶν οὐδεμιᾷ τῶν ἐν μέρει λεγομένων ἡ αὐτή· οὐδεμία γὰρ τῶν ἄλλων ἐπισκοπεῖ καθόλου περὶ τοῦ ὄντος ᾗ ὄν, ἀλλὰ μέρος αὐτοῦ τι ἀποτεμνόμεναι περὶ τούτου θεωροῦσι τὸ συμβεβηκός.* Pg. 66 quaeritur, num geometrarum, quae dicuntur axiomata in hujus disciplinae orbem incidant. Incidunt autem, quia non unum quoddam genus a ceterisque separatum, sed omnia, quae sunt, sequuntur. *Ἅπασι γὰρ ὑπάρχει τοῖς οὖσιν, ἀλλ' οὐ γένει τινὶ χωρὶς ἰδίᾳ τῶν ἄλλων.* Quo fit, ut singulae quaeque disciplinae nullam de iis instituant deliberationem; neque enim geometrae, neque qui in arithmeticis versantur, quaerunt, utrum vera sint nec ne. Nonnulli physici autem, quia se solos de omni natura atque iis, quae sunt, deliberasse opinabantur, de illis quoque disputarunt. Quo jure id fecerint, inde intelligitur, quod scientia, quae in natura contemplanda versatur, etsi est sapientia quaedam, non est prima. Jam nunc sic pergit: *ὅσα δ' ἐγχειροῦσιν τῶν λεγόντων τινὲς περὶ τῆς*

---

disceptetur, hoc loco tantum proferimus, quantum sufficit ad definitionem intelligendam.

ἀληθείας, ὃν τρόπον δεῖ ἀποδέχεσθαι, δι' ἀποδευσίαν τῶν ἀναλυτικῶν τοῦτο δρῶσι δεῖ γὰρ περὶ τούτων ἥκειν προεπισταμένους, ἀλλὰ μὴ ἀκούοντας ζητεῖν. Illi igitur de veritate cognoscenda non ita quaesivissent, si iis analytica scientia explorata fuisset. Necesse est enim, ut cognoscendi formae et rationes, in quibus exponendis analytica versantur, cognitae sint, priusquam ad primam philosophiam accedatur. Itaque logica, quae dicuntur scripta, quasi vestibulum sunt metaphysicorum, ut, qui illa ignorat, frustra in haec intrare conetur. Logicae, ut ita dicam, fronti inscriptum est: quales sunt formae et rationes, quibus utitur mens ad rerum naturam cognoscendam, et quam viam percurrit, donec ad primam philosophiam, cujus est principia cognoscere, perveniat. Aristoteles, ut totius naturae orbem perscrutatus est, sic modum et rationem, qua mens in rerum naturam descendit, in certas ac consentaneas formas redegit.

Jam quaeritur, utrum hac in re investiganda ad certam legem sese adstrinxerit Aristoteles, an ex formarum illarum varietate unam vel alteram indiscriminate arripuerit? Hoc quidem esse nemo sibi persuadeat, qui cum reliquis philosophi scriptis parvam quandam familiaritatem contraxerit. Ad rem vero decernendam utilitati erit, ad viam et rationem respicere, qua in ceteris scriptis procedere solet. — Aristoteles priusquam rei notionem explicet, experientiam consulere solet. Experientia autem, quum varia esse possit, primum a sensibus repetitur, a quibus singula quaeque nobis traduntur; porro a loquendi usu, quoniam prodest, ad notionem declarandam varias vocabulorum significationes excutere et examinare; denique ex priorum philosophorum placitis, ut nihil frequentius sit in philosophia Aristotelis, quam quod antiquiorum philo-

sophorum sententias proponit, iisque suae definitionis quasi viam munit. —

Jam nunc quaeritur, a qua re sit proficiscendum, si id agatur, ut variae cognoscendi formae exponantur. Non notio quaedam, quae ad certam rem spectat, sed ipsa ratio inquiritur, qua mens rerum naturam complectitur. Ubi vero illius externa, ut ita dicam, vestigia deprehendas? Fuitne igitur experientia quaedam, a qua Aristoteles in ea investiganda proficisci potuit? Patet vero, sensuum perceptionem ad hanc rem nihil valere. Neque ex historia philosophiae quidquam haurire potuit; quamquam enim ceteri philosophi certa quadam via procedebant, velut Socrates inductionis via, tamen de ipsa cognoscendi ratione fere nullam quaestionem instituerant. — Sola experientia, a qua logica proficisci potuit, lingua erat; haec enim est imago quaedam cogitationis. De interpret. 1, p. 16 a, 3 Bek. *Ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα* et Cp. 14 p. 24 b, 1. — Ibid. p. 23, a, 32 *εἰ γὰρ τὰ μὲν ἐν τῇ φωνῇ ἀκολουθεῖ τοῖς ἐν τῇ διανοίᾳ.* — Cogitatio, quum linguae externam formam quasi induat, necesse est, ut in lingua prima et simplicissima ratio inveniatur, quae inter cogitatum et cogitantem intercedit. Haec est enunciatio. — Enunciationem licet duplici modo considerare, primum quatenus totum est, deinde quatenus singulas comprehendit notiones, quae ex communi ejus vinculo eximi et per se considerari possunt. — Hae quidem sunt categoriae, quas Aristoteles *τὰ κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγόμενα* appellat.[1]) — In singulis categoriis, quae ex enunciatione in partes dissoluta originem traxerunt[2]),

---

[1]) categor. Cp. 4.

[2]) Id edocuit Trendelenburg. de categoriis. Ac jure quidem vir doctissimus mihi eos refutasse videtur, qui categorias per se et

Aristoteles ita versatur, ut grammatica earum origine relicta, logicam notionem inquirat. Hac via ad certas notiones pervenit, quibus rerum varietatem secernere et ad certas normas revocare potuit.[1]). — De enunciatione in partes non soluta, quam judicium dixerunt, in libro de interpretatione agitur. Dum categoriae neque veri neque falsi notam admittebant, quippe quae disjunctae considerarentur, enunciatio, quae subjectum et praedicatum conjungit, prima de veritate quaestionem instituit.[2])

In antecedentibus logicae fundamentum, quod in lingua positum erat, paucis significavimus; jam nunc quaestio oritur, quonam principio ductus Aristoteles ad ceteras cognoscendi formas profectus sit? Sunt multi, quibus omnia in logicis scriptis ad principium illud, quod dicunt identitatis et contradictionis redire videantur.[3]) — Nititur quidem haec sententia metaphysicae loco, quo certissimum principium appellatur. Metaphy. IV (*Γ*) p. 17 Br. *ὅτι μὲν οὖν ἡ τοιαύτη πασῶν βεβαιοτάτη ἀρχή, δῆλον· τίς δ' ἔστιν αὕτη, μετὰ ταῦτα λέγομεν· τὸ γὰρ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ καὶ κατὰ τὸ αὐτό* etc. At vero hujus loci, ut ita dicam, metaphysicam rationem illi viri non satis perspexerunt.[4]) Huc accedit, quod in ipsis logicis scriptis fere nulla vestigia deprehenduntur, ex quibus colligi possit, tantam esse illius principii auctoritatem. Quis denique sibi persuadeat, tale

---

ab enunciatione segregatas esse volunt, quique Aristotelem, ut judicia conflaret, notiones composuisse censent. cf. p. 3 sq. et p. 10.

[1]) cf. Biese p. 81 sq.

[2]) cf. d. interpret. C. 1.

[3]) Tennemann Geschichte d. Philos. 3r Bd. p. 54; Ritter Gesch. d. Phil. 3r Bd. p. 66.

[4]) Trendelenburg, Logische Untersuchungen S. 19 ff.

principium variis cognoscendi generibus gignendis sufficere? Logica enim modos et formas investigat, quibus rerum natura cognoscatur. Omnem cognitionem vero Aristoteles eo tendere dicit, ut μέσον vel causam inveniat. Analyt. post. II, 2 τὸ μὲν γὰρ αἴτιον τὸ μέσον, ἐν ἅπασι δὲ τοῦτο ζητεῖται. Analyt. post. I, 2 tunc, inquit, singula quaeque simpliciter scire putamus, quum causam, unde res est, rei causam esse cognoscere arbitramur, neque hoc aliter se habere posse[1]). Quotquot igitur sunt formae cognoscendi, omnes in percipienda causa sunt adeo detentae, ut nesciam, si logicae principium quaeratur, an causa sit nominanda. — Jam redeamus ad enunciationem vel judicium. Hoc etsi primum de veritate quaerat, tamen non scientiam praebere potest, quia in eo acquiescit, ut aliquid pronuntiet, quod in veri et falsi existimationem cadere possit, nec vero causam, unde illud factum sit, adjungit. Quae igitur sunt rationes, quibus res cognoscere licet, ita vero, ut rerum causa non lateat? Duplex exstat ratio cognoscendi, quarum altera ab iis proficiscitur, quae nobis, altera ab iis, quae natura sunt priora et notiora, inductio et syllogismus. Inductio singula quaeque indagans ex singulis generalem notionem quasi colligit; dum res singulas et dissipatas perlustrat, quae ab universa notione originem traxerunt, id agit, ut hanc ipsam originem patefaciat; per singula igitur generalium causam adducit. Aristoteles etsi magnam inductioni tribueret auctoritatem, eaque saepissime in philosophia uteretur, tamen non nescivit, eam ad notionem declarandam non sufficere[2]). Condendae notionis quasi copiam colligit, sed non ipsam notionem concludit. —

---

[1]) cf. Trendelenb. element. log. Arist. p. 77.
[2]) cf. analyt. poster. II, 5; Topic. VI, 4.

Alterum genus cognitionis est syllogismus. Saepe fit, ut syllogismorum doctrina non solum ea, qua par est, laude celebretur, sed etiam tanquam fastigium logicorum librorum Aristotelis praedicetur. Etsi negari non possit, Aristotelem hac in doctrina summa cum subtilitate versatum esse, tamen videndum est, ne tanta auctoritas huic tribuatur, quanta de definitionis vi deroget. Syllogismorum vis in eo posita est, ut ex generalibus peculiaria concludant. Id si agunt, non minus quam inductiones causam patefacere student; conclusio enim ex termino medio tanquam ex causa est repetenda. Patet vero, neque syllogismum neque demonstrationem quidquam valere, nisi ex generali principio ductae sint. Necesse igitur est, alia sit ratio cognoscendi, quae demonstrationibus succurrat. Haec est definitio. Dum illae ex generali rei natura attributa repetebant, definitiones illam ipsam amplectuntur. Definitionum igitur est, notionem explicare (τ. τ. η. ε.), quae quidem est creatrix rerum causa, ut definitionis quoque natura in explicanda causa posita sit.

Ab enunciatione igitur, qualis in lingua invenitur, proficiscens logica diversas cognoscendi formas et modos investigat, ita vero, ut omnes communi vinculo teneri appareat. Definitio autem, quum notionis sit logica significatio, in metaphysicam traducit.

Haec praefati ad τὸ τί ἦν εἶναι explicandum sic aggredimur, ut primum, quem teneat locum, significemus. — Si id agitur, ut οὐσίας vis, qualis fuerit apud Aristotelem, explanetur, non parva oritur difficultas. Tam saepe enim Aristoteles verbi vim et rationem commutasse videtur, ut valde dubium esse possit, quaenam tanquam primaria sit eligenda. In categoriis οὐσίαι dividuntur in primas et secundas, ut illae ad individua, hae ad species et genera referantur; in metaphysicis permultis locis et forma et materia et quod ex utraque

quasi compositum est *οὐσίαι* appellantur, uno denique loco universale et genus ad *οὐσίας* vim et rationem vocari videntur. Ita si in diversissimis rebus posita est *οὐσία*, quaeritur, quae sit propria et summa ejus significatio? Ad id decernendum juvabit consulere categorias; in his enim prima, quae appellatur, substantia, his verbis definitur: *οὐσία δέ ἐστιν ἡ κυριώτατά τε καὶ πρώτως καὶ μάλιστα λεγομένη, ἣ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται μήτ' ἐν ὑποκειμένῳ*[1] *τινί ἐστιν*. Quum ea igitur propria et primaria vi appelletur substantia, quae neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto aliquo inhaeret, videndum est, utrum haec significatio non minus in metaphysicis libris principem locum obtineat. Prae ceteris duo loci sunt nominandi, quibus substantiae vis explicatur, in quinto libro et septimo. Priori loco[2]) haec leguntur: *ἅπαντα δὲ ταῦτα λέγεται οὐσία ὅτι οὐ καθ' ὑποκειμένου λέγεται ἀλλὰ κατὰ τούτων τὰ ἄλλα*, ut Aristotelem a principi illa definitione non recedere manifestum sit. Neque minus septimo libro, ubi copiosam de substantia instituit deliberationem, apparet, Aristotelem ab eadem proficisci significatione; nam non solum *οὐσίαν* ceteris categoriis opponit, sed etiam *τόδε τι* eam significare affirmat, id, quod nonnisi primis substantiis attribui potest.[3]) — VII p. 128, 1 *Τὸ ὂν λέγεται πολλαχῶς* — — — — *σημαίνει γὰρ τὸ μὲν τί ἐστι καὶ τόδε τι, τὸ δὲ ὅτι ποιὸν ἢ ποσὸν ἢ τῶν ἄλλων ἕκαστον τῶν οὕτω κατηγορουμένων· τοσαυταχῶς δὲ λεγομένου τοῦ ὄντος φανερὸν, ὅτι τούτων πρῶτον ὂν τὸ τί ἐστι, ὅπερ σημαίνει τὴν οὐσίαν.*[4]). — Eadem vis est *οὐσίας* d. anim. I, 1

---

[1]) categ. Cap. 2 *ἐν ὑποκειμένῳ δὲ λέγω, ὃ ἔν τινι ὡς μέρος ὑπάρχον ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἐν ᾧ ἐστίν.*

[2]) Metaphy. V. p. 99, 25 Br.

[3]) Id dicitur categoriis Cp. 5 p. 3, 10 Bek.

[4]) cf. Metaph. VII p. 128, 22.

p. 2, 14 Trend., analyt. poste. I. 4. — Hanc solam si primam verbi significationem esse statuis, intelligere potes, unde factum sit, ut nomen istud pluribus impo suerit. Ubi enim significandum erat, quo notio substantiae contineretur, loquendi usum sic inflectere potuit, ut momenta etiam, quae substantiam quasi constituunt, *οὐσίας* nomine insigniret. Haec quidem sunt materia et forma, id, quod ex multis locis apparet. Mataphy. V p. 100, 6 *συμβαίνει δὴ κατὰ δύο τρόπους τὴν οὐσίαν λέγεσθαι, τὸ δ' ὑποκείμενον ἔσχατον, ὃ μηκέτι κατ' ἄλλου λέγεται, καὶ ὃ ἂν τόδε τι ὂν καὶ χωριστὸν ᾖ· τοιοῦτον δὲ ἑκάστου ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος.* Hoc loco postquam varias significationes excussit, quae ad *οὐσίαν* pertinere possint, postremo omnes quasi complectens, in materia (haec enim ultimo substrato significatur) et forma *οὐσίαν* versari concludit (*συμβαίνει δή*). — Ibid. VII p. 152, 22 Br. *ἡ οὐσία γάρ ἐστι τὸ εἶδος τὸ ἐνὸν ἐξ οὗ καὶ τῆς ὕλης ἡ σύνοδος λέγεται οὐσία.* — VII. p. 130, 19 *μάλιστα γὰρ δοκεῖ εἶναι οὐσία τὸ ὑποκείμενον πρῶτον· τοιοῦτον δὲ τρόπον μέν τινα ἡ ὕλη λέγεται, ἄλλον δὲ τρόπον ἡ μορφή, τρίτον δὲ τὸ ἐκ τούτων.*[1]) — Quod autem dicit substantiam esse et formam et materiam et quod ex utraque conflatum sit, his ultimis verbis nihil novi addidit ad substantiam definiendam, sed partes illas, quae cogitatione separari possunt, in unum comprehendit. Cui sententiae ille quidem locus obstrepere videtur, qui non solum formam et materiam sed etiam universale et genus in *οὐσίας* partem vocat. Metap. VII p. 130, 13 *λέγεται δ' ἡ οὐσία, εἰ μὴ πλεοναχῶς, ἀλλ' ἐν τέτταρσί γε μάλιστα· καὶ γὰρ τὸ τί ἦν εἶναι καὶ τὸ καθόλου καὶ τὸ γένος οὐσία δοκεῖ εἶναι ἑκάστου, καὶ τέταρτον τού-*

---

[1]) Idem legitur Metaph. VIII. p. 165, 18; XII p. 242; de anim II, 1 p. 34, 1 Trendel.

των τὸ ὑποκείμενον. At vero Aristoteles hoc in libro *οὐσίας* notionem accurate expositurus, primum non ea affert, quae ipse *οὐσίαν* constituere existimat, sed quae ad hanc definiendam aliquem numerum habere possint. Talia quidem sunt *καθόλου* et *γένος*; postea vero excluduntur, ut quae substantiae rationi minus respondeant. Rem ita sese habere, ex iis apparet, quae dicit, ubi de *καθόλου* disputat. VII p. 155, 23 *δοκεῖ δὲ καὶ τὸ καθόλου αἴτιον τισιν εἶναι μάλιστα, καὶ εἶναι ἀρχὴ τὸ καθόλου· διὸ ἐπέλθωμεν καὶ περὶ τούτου· ἔοικε γὰρ ἀδύνατον οὐσίαν εἶναι ὁτιοῦν τῶν καθόλου λεγομένων.* — Jam illa forma, quae una cum materia substantiam constituit, ab Aristotele *τὸ τί ἦν εἶναι* vocatur, ut hujus explicatio substantiae quoque lucem afferre debeat.

Aristoteles, ubi in septimo metaphysicorum libro de *τὸ τί ἦν εἶναι* disputat, ab hac re proficiscitur, ut *τὸ τί ἦν εἶναι* in eo cerni dicat, quod de re per se dicatur[1]), ut omnia, quae rei casu adhaerescant, a notione[2]) excludi appareat. Nec tamen haec satis accurate dicta sunt; nam quaeritur, num *τὸ τί ἦν εἶναι* in omnibus insit, quae de re aliqua per se dici possint. Itaque haec adduntur: *οὐδὲ δὴ τοῦτο πᾶν· οὐ γὰρ τὸ οὕτως καθ' αὑτὸ ὡς ἐπιφάνεια λευκόν, ὅτι οὐκ ἔστι τὸ ἐπιφανείᾳ εἶναι τὸ λευκῷ εἶναι.* Album igitur licet de superficie per se praedicetur, tamen non est hujus notio, quia album esse superficiem esse non ita explet et exaequat, ut alterum in alterius locum substitui possit. Sed ne id quidem satis apte rem definit. *Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τὸ*

---

[1]) Met. VII p. 132, 11 *καὶ πρῶτον εἴπωμεν ἔνια περὶ αὐτοῦ λογικῶς, ὅτι ἔστι τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ* (id recte emendavit pro *ἕκαστον* Bonitzius observati. critic. in Arist. lib. metaphy. p- 95 annot.) *ὃ λέγεται καθ' αὑτό.*

[2]) Brevitatis causa exprimere liceat *τ. τ, η. ε.* per notionem.

ἐξ ἀμφοῖν τὸ ἐπιφανείᾳ λευκῇ εἶναι· διὰ τί; ὅτι πρόσεστιν αὐτό.[1]). Si quis igitur ex utroque quasi componere vellet *τὸ τί ἦν εἶναι*, id non magis accommodatum esset notioni; cujus enim notio inquiritur, id ipsa notione contineretur. His igitur remotis, quae supra protulerat, subtilius sic exprimere potuit, ut notionem eo contineri diceret, in quo, etsi rem diceret, ipsa res non inesset; *ἐν ᾧ ἄρα μὴ ἐνέσται λόγῳ αὐτό, λέγοντι αὐτό, οὗτος ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ.* —

Aristoteles, quum saepe substantiae *τὸ καθ' αὑτὸ* vindicet[2]), nunc patet, id fieri, quoad notionis natura in eo posita est. Materiam vero nunquam per se dici voluit. Metaph. VII p. 146, 19 *λεκτέον γὰρ τὸ εἶδος καὶ ᾗ εἶδος ἔχει ἕκαστον· τὸ δ' ὑλικὸν οὐδέποτε καθ' αὑτὸ λεκτέον.*

Haec, quae universe de *τὸ τί ἦν εἶναι* prolata sunt, tam late patent, ut quomodo differat a cognatis notionibus, a genere et universali non eluceat.[3]) Ab his,

---

[1]) *αὐτό*, etsi genere vetitum sit, ad *ἐπιφάνειαν* referendum est. Jam Alexander (schol. p. 742, b, 5) habuit alteram lectionem: *αὕτη*, quae a plurimis codicibus commendatur. — Ipsa res magis perspicua erit, si ad definitiones respexeris. Topica edocent, omnem definitionem falsam esse, si res, quae est definienda, in definitione adhibita sit. (pag. 142 a, 34 Bek.) Hoc vitium supra notato respondet. — Quid sibi volunt verba obscura: *ὥστ' εἰ τὸ ἐπιφανείᾳ εἶναι λευκῇ εἶναί ἐστι, τὸ ἐπιφανείᾳ εἶναι λείᾳ, τὸ λευκῷ καὶ λείῳ εἶναι τὸ αὐτὸ καὶ ἕν*? Id quidem apparet, primum *εἶναι* et prius comma expungendum esse, id, quod a Bekkero factum est; sed quid reliqua dicunt? Nisi fallor Alexander haec verba recte interpretatur; hic enim putat, Aristotelem *λόγον* proferenti respondere. Si quis vitium notatum sic evitare susciperet, ut non *τὸ ἐπιφανείᾳ λευκῇ εἶναι* sed *τὸ ἐπιφανείᾳ εἶναι λείᾳ* tanquam notionem superficiei sumeret, nihil proficeret. Nam idem esset *λευκῷ εἶναι* et *λείῳ εἶναι*; res autem, quae definienda erat, in definitione adhibita esset. —

[2]) cf. analyt. poster. I, 4.

[3]) Cf. Trendelenburg. Das *τὸ ἑνὶ εἶναι* etc. und das *τὸ τί ἦν εἶναι* bei Aristoteles, Rheinisch. Museum. II, 4 p. 367 sq.

ut certis finibus segregetur, nova ratio consideranda est, quae tanquam certa nota ab Aristotele substantiae et notioni attribui solet. Sic enim contendit *τὸ τί ἦν εἶναι* comparatum esse, ut semper ad aliquid certum et individuum (*τόδε τι*) referatur.[1]) Quum universale autem[2]) multis commune sit, et genus per se solum propriam individuorum, quae comprehendit, naturam non significet, apparet *τὸ τί ἦν εἶναι* ista conditione ab iis accurate separatum esse. — Jam igitur, quum Aristoteles *τοῦ τί ἦν εἶναι* hanc voluerit conditionem esse, haud spernenda exsistit difficultas. Si verum est, quod dicit, nullius rei esse scientiam, nisi ejus notio perspecta sit,[3]) si porro tenendum est, unamquamque rem cognosci, quatenus sit universalis,[4]) quid causae habere potuit, ut notionis vim et vitam ad individua annecteret? Aristoteles infinitum adeo respuit in philosophia, ut ei infinita individuorum multitudo cognitioni se subtrahere videatur.[5]) Idem copiose edocet,[6]) singulas substantias, quoad ad materiam defixae sint, nec definiri, nec demonstrari posse, ut quae tan-

---

[1]) Metap. VII. p. 133, 11 (cf. Bonitz. observati. critic. p. 118 sq.); p. 133, 14; p. 136, 18 etc.

[2]) Metap. III p. 60, 15 *οὐδὲν γὰρ τῶν κοινῶν τόδε τι σημαίνει, ἀλλὰ τοιόνδε· ἡ δ' οὐσία τόδε τι* VII. p. 155, 25 *ἔοικε γὰρ ἀδύνατον οὐσίαν εἶναι ὁτιοῦν τῶν καθόλου λεγομένων; πρώτη μὲν γὰρ οὐσία ἴδιος ἑκάστῳ ἣ οὐχ ὑπάρχει ἄλλῳ· τὸ δὲ καθόλου κοινόν·* VII p. 156, 25; p. 157, 11; X p. 196, 11.

[3]) Meta. VII. p. 137, 13 *ἐπιστήμη γὰρ ἑκάστου ἐστὶν ὅταν τὸ τί ἦν εἶναι ἐκείνῳ γνῶμεν;* p. 138, 1.

[4]) Meta. III p. 51, 7 *ᾗ γὰρ ἕν τι καὶ ταὐτὸν καὶ ᾗ καθόλου τι ὑπάρχει, ταύτῃ πάντα γνωρίζομεν* p. 60, 22 *καθόλου γὰρ αἱ ἐπιστῆμαι πάντων.*

[5]) Metap. III p. 51, 5 *εἴ τε γὰρ μὴ ἔστι τι παρὰ τὰ καθέκαστα, τὰ καθέκαστα ἄπειρα, τῶν δὲ ἀπείρων πῶς ἐνδέχεται λαβεῖν ἐπιστήμην;* p. 51, 15.

[6]) Metaphy. VII p. 159.

quam mutabiles sint opinioni relinquendae; τὰ καθ' ἕκαστα vero jam propterea non posse definiri, quia nomina, quibus utimur, sunt universalia.[1] — Si quis vero dubitaverit, an istam habeat significationem τόδε τι, satis est afferre categoriarum locum[2]), ubi solis primis substantiis, quippe quae unum aliquid et individuum significent, τόδε τι vindicatur. — Jam quomodo est difficultas enodanda? Ipse quidem Aristoteles, ubi in metaphysicis varias peregit dubitationes, illam non praetermisit, ut colligi debeat, eum in explicando τῷ τί ἦν εἶναι eam non neglexisse. Dicit III p. 60, 12 *Ταύτας τε οὖν τὰς ἀπορίας ἀναγκαῖον ἀπορῆσαι περὶ τῶν ἀρχῶν, καὶ πότερον καθόλου εἰσὶν ἢ ὡς λέγομεν τὰ καθέκαστα· εἰ μὲν γὰρ καθόλου οὐκ ἔσονται οὐσίαι — — — εἰ δὲ μὴ καθόλου ἀλλ' ὡς τὰ καθέκαστα οὐκ ἔσονται ἐπιστηταί· καθόλου γὰρ αἱ ἐπιστῆμαι πάντων.*

Nisi fallor, hi loci ad rem solvendam viam muniunt: Metaph. VII p. 148, 22 *καθόλου δ' οὐκ ἔστιν οὐσία, ἀλλὰ σύνολόν τι ἐκ τουδὶ τοῦ λόγου καὶ τησδὶ τῆς ὕλης ὡς καθόλου*; p. 132, 19 *ἐν ᾧ ἄρα μὴ ἐνέσται λόγῳ αὐτό, λέγοντι αὐτό, οὗτος ὁ λόγος τοῦ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ.* Quid est, quod priori loco verba addit *ὡς καθόλου*, altero autem rem in notione non inesse contendit, etsi notio de ea praedicetur?[3]) Si recte divinamus τὸ τί ἦν εἶναι est sic definiendum, ut sit universalis notio, quae ad certam individui naturam relata est, vel individuum, quod iis omnibus exemtum, quae casu et fortuito accedant, universalem rationem

---

[1]) **Meta. VII p. 159, 24** *ἀναγκαῖον δὲ ἐξ ὀνομάτων εἶναι τὸν λόγον — — τὰ δὲ κείμενα κοινὰ πᾶσιν.*

[2]) **categor. C. 5 p. 3, 10 Bek. Secundas substantias dicit** *τῷ σχήματι τῆς προσηγορίας* **videri** *τόδε τι* **significare, etsi revera non** *τόδε τι* **sed** *ποιόν τι* **significent.**

[3]) **cf. Trendelenb. Museo Rhen. p. 469.**

exprimit.[1]) Ab hac parte Aristoteles, quum *τὸ τί ἦν εἶναι* accurate circumscriptum esse velit, id, quod definitionis nomine jam satis indicatur, illud universale a notione excludit, quod a certae rei perspicuitate abhorret, ab illa non ea in notionis partem vocat, quae tanquam mutabilia ac varia individuis adhaerent, ut nostrae cognitioni, quae nonnisi necessaria ac sempiterna amplectatur, subterfugiant. Nescio, an haec notio cum poetico exemplo comparari possit, quod mente ita informamus, ut etsi certa et perspicua forma indutum sit, tamen universalem legem exprimat. —

Hac exposita ratione, intelligitur, quum nihil frequentius sit in metaphysicis, quam ut substantiae illud *τόδε τι* vindicetur, id ad notionis vim et potestatem referendum esse. Haec enim ad materiam est ita relata, ut eam ad certam formam redigat. Materia per se spectata a certa ac finita conditione abhorret, quo fit, ut Aristoteles eam potentia vel non per se esse *τόδε τι* contendat.[1]) — Ipsis quidem verbis Aristoteles sic usus esse videtur,[2]) ut per *τόδε* materiam significaret, quoad

---

[1]) Cum his consentit Alexander Aphrodisiensis in iis, quae de definitionibus disputavit, quarum rationem acriter perspectam habuit. *Ἀπορίαι καὶ λύσεις* p. 20 edid. Spengel. — *ἀλλ' οὐδὲ κοινοῦ τινος* (sci. *εἰσὶν οἱ ὁρισμοὶ*) *τῶν καθέκαστα κεχωρισμένου καὶ ὄντος ἀσωμάτου τινὸς φύσεως καὶ ἀϊδίου* — — — — *ἀλλ' εἰσὶν οἱ ὁρισμοὶ τῶν ἐν τοῖς καθέκαστα κοινῶν, ἢ τῶν καθέκαστα κατὰ τὰ ἐν αὐτοῖς κοινά;* — p. 21 *διὸ οὐδὲ τῶν κοινῶν ὡς κοινῶν οἱ ὁρισμοί, ἀλλὰ τούτων, οἷς κοινοῖς καθεκάστην φύσιν εἶναι συμβέβηκεν.*

[2]) Metaphy. VIII p. 165, 18 *ὕλην δὲ λέγω, ἣ μὴ τόδε τι οὖσα ἐνεργείᾳ δυνάμει ἐστὶ τόδε τι.* D. anim. II, 1 *λέγομεν δὴ γένος ἕν τι τῶν ὄντων τὴν οὐσίαν, ταύτης δὲ τὸ μὲν ὡς ὕλην, ὃ καθ' αὑτὸ μὲν οὐκ ἔστι τόδε τι* etc. — Uno loco (Metaphy. XII p. 242, 2) materia *τόδε τι* significari videtur, adjicitur tamen *τῷ φαίνεσθαι* cf. Trendelenb. d. ani. p. 325.

[3]) Cf. Ammonium ad Categor. 3, b, 10: *σημαίνει μὲν οὖν αὐτῷ τὸ τόδε τὸ ὑποκείμενον· δείξεως γάρ ἐστι σημαντικόν* — — *τὸ δὲ*

sensibus objicitur, per *τί*, quoad accedente forma unum et certum evadit.

Antequam vero hac de re diligentius agamus, ad quaestionem deducimur, quae cum expositis arcte cohaeret. Quaesiverit enim quispiam, num *τὸ τί ἦν εἶναι* etiam in iis cernatur, in quibus ad substantiam aliud quoddam praedicamentum accedat.[1]) Aristoteli propterea id videtur denegandum esse, quia talis res non *τόδε τι* sit.[2]) Solae enim substantiae sibi ipsis quasi sufficiunt, ut unum ac certum esse possint, neque ad alienas res referri debeant. Quum alia autem sit conditio ceterarum categoriarum, ut quae de substantiis praedicentur iisque inhaereant, *τὸ τί ἦν εἶναι* ad hasce videtur non pertinere posse.[3]) — Neque minus definitio ab omnibus abhorrere videtur, quae non substantiarum numero tenentur.[4]) — Relaxat tamen Aristoteles legis severitatem. Sicut *τὸ τί ἐστι* prima vi substantiam significat, deinde autem reliqua praedicamenta, ut quale, quantum[5]), ita *τὸ τί ἦν εἶναι*, etsi proprie ad substan-

---

τὶ τῆς κατὰ τοῦ ὑποκειμένου οὐσίας ὅτι ὑπομένει καὶ οὐ δεῖταί τινος, οὐδέ ἐστιν ἐν ὑποκειμένῳ, ἀλλ᾽ αὐτὴ ὑποκείμενον πᾶσίν ἐστι καὶ τῆς ἑνότητος αἰτία etc.

1) Metaphy. VII p. 132, 23 sq.

2) p. 133, 12 *ὅταν δ᾽ ἄλλο κατ᾽ ἄλλου λέγηται οὐκ ἔστιν ὅπερ τόδε τι, οἷον ὁ λευκὸς ἄνθρωπος οὐκ ἔστιν ὅπερ τόδε τι, εἴπερ τὸ τόδε ταῖς οὐσίαις ὑπάρχει μόνον,*

3) cf. p. 128, 12.

4) p. 133, 16 *ὁρισμὸς δ᾽ ἐστὶν οὐκ ἂν ὄνομα λόγῳ ταὐτὸ σημαίνῃ — — — ἀλλ᾽ ἐὰν πρώτου τινὸς ᾖ.* Verba, quae explicandi causa adjiciuntur (*τοιαῦτα δ᾽ ἐστὶν ὅσα λέγεται μὴ τῷ ἄλλο κατ᾽ ἄλλου λέγεσθαι*) aperte significant substantiam, quatenus opponitur reliquis categoriis. cf. VII p. 128, 26; 128, 8. cf. analyt. poster. 1, 22 p. 83 a, 25 *ὅσα δὲ μὴ οὐσίαν σημαίνει, ἀλλὰ κατ᾽ ἄλλου ὑποκειμένου λέγεται.*

5) VII p. 133, 29 *καὶ γὰρ τὸ τί ἐστιν ἕνα μὲν τρόπον σημαίνει τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τόδε τί, ἄλλον δὲ ἕκαστον τῶν κατηγορουμένων, ποσόν, ποιὸν καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα.*

tiam pertineat, tamen ad illa quoque referri potest. Nam si quale, quantum per se cogites, ut ex substantiae, cui proprie inhaerent, ambitu quasi eximantur, quodammodo abeunt in substantiae vim et rationem, ut *τὸ τί ἦν εἶναι* ad haec quoque transferre liceat. Attamen non eadem ratione *τὸ τί ἦν εἶναι* pertinet ad substantias et ad reliquas categorias, ut Aristoteles exposita sic comprehendere possit: *διὸ καὶ νῦν ἐπεὶ τὸ λεγόμενον φανερόν, καὶ τὸ τί ἦν εἶναι ὁμοίως ὑπάρξει πρώτως μὲν καὶ ἁπλῶς τῇ οὐσίᾳ εἶτα καὶ τοῖς ἄλλοις, ὥσπερ καὶ τὸ τί ἐστιν,*[1] *οὐχ ἁπλῶς τί ἦν εἶναι, ἀλλὰ ποιῷ ἢ ποσῷ τί ἦν εἶναι.* Neque aliter Aristoteles rem se habere dicit in definitionibus, ut in his cum iis consentiat, quae in analyticis de definitione exposuerat.

Haec, quae ex Aristotele attulimus, etsi *τὸ τί ἦν εἶναι* sic definiant, ut quomodo differat a cognatis notionibus, intelligatur, tamen intimam ejus vim atque naturam non satis recludunt. Supra indicavimus, quum substantia composita sit ex materia et ex forma, *τῷ τί ἦν εἶναι* ab Aristotele formae quasi locum assignari. Metaphy. VII p. 139, 24 *εἶδος δὲ λέγω τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστου καὶ τὴν πρώτην οὐσίαν.* Jam si id constat, prae ceteris, quid de ratione Aristoteles tradiderit, quae intercedat inter *τὸ τί ἦν εἶναι* et materiam, videndum erit. — Materia ab Aristotele sic describitur,[2] ut per se neque quid, neque quale neque aliam quandam categoriam significet, ut sit omnino indefinitum, *ἀόριστον.*[3] — *Τῷ τί ἦν εἶναι* autem, quod huic opponitur, ea vis tribuitur, ut indefinitam materiam ad certam vitae redigat conditionem (*τόδε τι*), ut sit tanquam

---

[1]) Sic interpungendum esse, vere docuit Bonitzius l. c. p. 14 sq.

[2]) Metaphy. VII p. 131, 11 *λέγω δ' ὕλην ἣ καθ' αὑτὴν μήτε τὶ μήτε ποσὸν μήτε ἄλλο μηθὲν λέγεται, οἷς ὥρισται τὸ ὄν.*

[3]) ibid. p. 152, 20.

divinum exemplar, ad quod et in natura et in arte unaquaeque res gignatur. Sunt tria[1]) in rebus naturalibus discernenda, *τὸ ἐξ οὗ, τὸ ὑφ' οὗ, τὸ τί;* ut hoc autem creari possit, necesse est, ad materiam, quae est commune rerum substratum, creatrix forma accedat. Neque alia res est in iis rebus, quae humana arte[2]) perficiuntur; pulchritudinis imago, quae insidet in mente artificis, forma est, quae ex materia certum artificium effingit. Quum haec sit notionis vis et potestas, facile intelligitur, cur Aristoteles in analyticis definitioni causam indagandi negotium mandaverit.[3])

At non omnis forma ab Aristotele *τὸ τί ἦν εἶναι* vocatur, sed ea tantummodo, quae a materia revocata per se sola cogitatur. Neque enim referendum est *τὸ τί ἦν εἶναι* ad formam, quae in materiam prolata una cum hac certam rei constituit naturam, sed ad illam, quae, ut nomen significare videtur[4]), ante rem ipsam concepta rei gignendae tanquam universalis lex subest. Id, nisi apertis verbis[5]) ab Aristotele indicaretur, ii omnes, nisi fallor, loci testarentur, ubi *τὸ τί ἦν εἶναι* in metaphysicis ad primam vocatur substantiam, vel substantiam *κατὰ τὸν λόγον.*[6]) — Quum tale sit *τὸ τί*

---

[1]) Metaphy. VII p. 139, 6 *τὸ δὲ ἐξ οὗ γίγνεται, ἣν λέγομεν ὕλην· τὸ δ' ὑφ' οὗ, τῶν φύσει τι ὄντων· τὸ δὲ τί, ἄνθρωπος ἢ φυτὸν ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων, ἃ δὴ μάλιστα λέγομεν οὐσίας εἶναι.*

[2]) ibid. p. 139, 23 *ἀπὸ τέχνης δὲ γίγνεται, ὅσων τὸ εἶδος ἐν τῇ ψυχῇ.*

[3]) ibid. p. 162, 29 *καὶ διὰ τί ταδί, οἷον λίθοι καὶ πλίνθοι, οἰκία ἐστί· φανερὸν τοίνυν ὅτι ζητεῖ τὸ αἴτιον· τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ τί ἦν εἶναι, ὡς εἰπεῖν λογικῶς.*

[4]) cf. Trendelenb. muse. Rh. l. c. p. 478 sq.

[5]) Metaphy. VII p. 140, 6 *ὥστε συμβαίνει τρόπον τινὰ τὴν ὑγίειαν ἐξ ὑγιείας γίνεσθαι καὶ τὴν οἰκίαν ἐξ οἰκίας τῆς ἄνευ ὕλης τὴν ἔχουσαν ὕλην —— λέγω δ' οὐσίαν ἄνευ ὕλης τὸ τί ἦν εἶναι.*

[6]) Metaphy. VII p. 139, 24 *εἶδος δὲ λέγω τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάσ-*

ἦν εἶναι, intelligimus, cur Aristoteles hujus neque ortum neque interitum esse voluerit[1]), ut hoc solum conservetur, dum ea omnia, quae formae vi et potestate ex materia orta sunt, ad interitum vocantur.[2]) Itaque τὸ τί ἦν εἶναι est ea forma, quae a materiae vicissitudine revocata re ipsa prior est, ut res ad eam tanquam ad propriam causam referenda sit. — Quamquam forma ab Aristotele ita a materia secernitur et per se ponitur, tamen magnopere cavendum est, ne eam talem esse judicemus, quae sibi ipsi sufficiat ac materia carere possit. Nam Aristoteles, ut hujusmodi errorem avertat, nonnullis locis, ubi alteram alteri opponit, formam nonnisi cogitatione separari posse dicit.[3]) Hinc factum est, ut idearum separationem sexcentis locis impugnet, Socratem vero laudet, ut qui definitiones suas a rebus non segregaverit.[4])

του καὶ τὴν πρώτην οὐσίαν; p. 155, 27 πρώτη μὲν γὰρ οὐσία ἴδιος ἑκάστῳ ἣ οὐχ ὑπάρχει ἄλλῳ; p. 151, 24 ἡ μὲν ψυχὴ οὐσία ἡ πρώτη, τὸ δὲ σῶμα ὕλη; p. 152, 27 primam substantiam, a qua τ. τ. η. ε. non differre dicit, eam definit, ἣ μὴ λέγεται τῷ ἄλλο ἐν ἄλλῳ εἶναι καὶ ὑποκειμένῳ ὡς ὕλη (cf. Bonitz. l. c. p. 96.) — p. 148, 6 ἐπεὶ δὲ ἡ τῶν ζώων ψυχὴ — — ἡ κατὰ τὸν λόγον οὐσία καὶ τὸ εἶδος καὶ τ. τ. η. ε. τῷ τοιῷδε σώματι cf. p. 152, 9; p. 122, 9; de anim. II, 1 οὐσία γὰρ ἡ κατὰ τὸν λόγον· τοῦτο δὲ τ. τ. η. ε. τῷ τοιῷδε σώματι.

[1]) Meta. VII p. 142, 18 φανερὸν ἄρα ὅτι οὐδὲ τὸ εἶδος — — γίγνεται, οὐδ' ἔστιν αὐτοῦ γένεσις, οὐδὲ τ. τ. η. ε.; p. 159, 2.

[2]) p. 147, 10; 143, 3; 158, 25.

[3]) Physic. II, 1 p. 193, b, 4 Bek. ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος οὐ χωριστὸν ὂν ἀλλ' ἢ κατὰ τὸν λόγον Metaphy. VIII p. 165, 20 — — ἄλλως δ' ὁ λόγος καὶ ἡ μορφή, ὃ τόδε τι ὂν τῷ λόγῳ χωριστόν ἐστι. VII p. 149, 28 sq., ubi inter materiae partes et formae partes subtiliter distinguit, difficile esse ait, materiam a forma cogitatione abstrahere, ubi certa quaedam forma in certa quadam materia semper expressa reperiatur. Inde fit, ut animam non primam ἐντελέχειαν definiat, sed primam ἐντελέχειαν corporis natura geniti potentiaque vitam habentis.

[4]) Metaphy. XIII p. 287, 9.

Jam hujus notionis, quam breviter delineavimus, Aristoteles definitionem vult accommodatam et aptam exprimere imaginem. Ut notio re ipsa prior est, sic definitio ex iis repetatur, necesse est, quae sunt per se priora; ut notio est creatrix forma, ita definitio investigandae causae summam operam navat; ut forma in indefinitam materiam descendens certum aliquid et individuum procreat, ita definitio rem propositam, ultimis differentiis advectis, ab omni parte accurate circumscribere studet; ut notio denique in iis cernitur, quae de re per se dicuntur, sic definitionis est, ea exponere, quae rei per se attribuuntur. Itaque definitio, qualem analytica exponunt, notioni in metaphysicis descriptae sic respondet, ut apta ejus significatio vere appellari possit. — At vero quum Aristoteles in analyticis definitionem non minus in *τῷ τί ἐστι* explicando occupatam esse dicat, huic autem non omnino eadem vis inesse possit, quae *τῷ τί ἦν εἶναι*, res postulare videtur, ut quale discrimen intercedat inter utramque formulam, paucis explicemus.

Si recte in editionibus distincta essent verba, quae leguntur Metaphy. VII p. 134, 11 (*διὸ καὶ νῦν ἐπεὶ τὸ λεγόμενον φανερόν, καί τὸ τί ἦν εἶναι ὁμοίως ὑπάρξει πρώτως μὲν καὶ ἁπλῶς τῇ οὐσίᾳ εἶτα καὶ τοῖς ἄλλοις, ὥσπερ καὶ τὸ τί ἐστιν οὐχ ἁπλῶς τί ἦν εἶναι, ἀλλὰ ποιῷ ἢ ποσῷ τί ἦν εἶναι*) discrimen illud, quod inquirimus, ab Aristotele aperte significatum esset. At quum sententiarum nexu flagitetur,[1]) ut post *τὸ τί ἐστι* comma ponatur, evanescit differentia, quae isto verborum ordine indicata erat. Hoc quidem apparet, alteram formulam alteri ab Aristotele tanquam diversam opponi, sed tantum abest, ut, quomodo inter se differant, eluceat, ut quid habeant simile, expositum sit.

---

[1]) Id edoucit Bonitzius l. c. p. 14 sq.

His expositis, si respicimus ad definitionem, nihil est, cur miremur, Aristotelem definitionem voluisse non solum in τῷ τί ἦν εἶναι sed etiam in τῷ τί ἐστι explicando versari. Etiamsi enim proprie ad τὸ τί ἦν εἶναι pertineat, tamen plurimae res sunt ita comparatae, ut in earum definitionibus materiae sit ratio habenda. Prae ceteris in rebus naturalibus Aristoteles materiae rationem non negligendam esse censuit. [1])

Aristoteles inter veteres philosophos eos, qui ideas posuerint, ad notionis cognitionem proxime accessisse profitetur. [2]) Ac quis non videt, in ideis Platonicis Aristotelicae notionis quasi fundamentum reperiri. Aristoteles praeceptoris doctrinam tantopere impugnatam non prorsus reliquit, sed excoluit et absolvit. Quum a Platone ideas a rebus separatas vituperaret, ipse notionem in vitam transduxit et arctissime cum rebus copulavit. Quum in ideis movendi principium non videret, [3]) ipse notioni tribuit materiae formandae et fingendae potestatem. Ea vero notio, quae formam ad hanc dignitatem evehit, et tanquam anima explet, finis [4]) est, in quo Aristotelicae philosophiae summum cernitur fastigium.

ἀληθὴς ἢ ψευδής πᾶσα· ὁ δὲ νοῦς οὐ πάς, ἀλλ᾽ ὁ τοῦ τί ἐστι κατὰ τὸ τί ἦν εἶναι ἀληθής, καὶ οὐ τὶ κατά τινος.

[1]) Metaphys. XI p. 226, 5 Br. φανερὸν οὖν ὅτι καὶ σαρκὸς καὶ ὀφθαλμοῦ καὶ τῶν λοιπῶν μορίων μετὰ τῆς ὕλης ἀεὶ τὸν λόγον ἀποδοτέον.

[2]) Metaphy. I p. 22, 26 τὸ δὲ τί ἦν εἶναι καὶ τὴν οὐσίαν σαφῶς μὲν οὐθεὶς ἀποδέδωκε, μάλιστα δ᾽ οἱ τὰ εἴδη τιθέντες λέγουσιν.

[3]) ibid. p. 21, 26 φανερὸν δ᾽ ἐκ τῶν εἰρημένων ὅτι δυοῖν αἰτίαιν μόνον κέχρηται (sc. ὁ Πλάτων) τῇ τε τοῦ τί ἐστι καὶ τῇ κατὰ τὴν ὕλην. p. 23, 2 ἀκινησίας γὰρ αἴτια μᾶλλον καὶ τοῦ ἐν ἠρεμίᾳ εἶναι φασιν (τὰ εἴδη).

[4]) cf. Trendelenburg. ad Ar. d. anim., p. 295 sq., ubi ἐνέργειαν et ἐντελέχειαν praeclare declaravit.

CAP. II.

Duplicem, ut vidimus, viam et rationem analytica ad definitionem investigandam indicabant, quarum quidem altera a rebus nobis notioribus ad notionem simpliciter notiorem, altera a notione ad res proficiscebatur. Sicut autem necessarium erat notionis metaphysicam vim et naturam, quam analytica supposuerant, copiosius illustrare, ita hac in re occurrit quaestio, quid causae sit Aristoteli, ut duplici illa ratione definitionem instituendam esse judicet. Id nobis explicaturis, quid de mentis vi et natura Aristoteles tradiderit, videndum est.

Plato rationem, qua ideae menti oriantur, sic enucleare studuit,[1]) ut eam praeteritae vitae recordatione ideas recuperare censeret. Haec doctrina, ex qua ideae sunt menti insitae et innatae, ut intenta ejus agitatione in vitam suscitari possint, ab Aristotele non probatur. Hic enim, etsi bene animum idearum sedem[2]) dictum esse putet, tamen non universum animum sed solam mentem nec nisi potentia ideas possidere existimat. — Persuasum est Aristoteli mentem ad res cognoscendas ita factam esse, ut earum sit omnium facultas,[3]) ut eas recipere et in suam vim redigere possit; ut actu autem fiat, cujus intelligendi habeat facul-

[1]) cf. Platon. Menon. p. 81. Phaedon. p. 72.

[2]) de anima III, 4 p. 88, 21 Trendel. *καὶ εὖ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν, πλὴν ὅτι οὔτε ὅλη ἀλλ᾽ ἡ νοητική, οὔτε ἐντελεχείᾳ ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἴδη.*

[3]) ibid. 4 p. 88, 14 — — *ὥστε μηδ᾽ αὐτοῦ (τ. νοῦ) εἶναι φύσιν μηδεμίαν ἀλλ᾽ ἢ ταύτην, ὅτι δυνατόν· ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοῦς — — — οὐδέν ἐστιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν.* p. 90, 15 *ἢ τὸ μὲν πάσχειν κατὰ κοινόν τι διῄρηται πρότερον, ὅτι δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ᾽ ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν νοῇ.* Cf. analyti. post. II, 19 p. 100, 10.

tatem, necesse esse, ut agat cogitandique munus suscipiat. — Mentem a rerum potestate adeo liberam esse judicat[1]), ut vim habeat cavendi, ne res nolenti quasi obtrudantur, neve ipsi insint earum notiones, priusquam cogitaverit. Quae quum ita sint, apparet, cur mentem tabulae similem esse dicat[2]), in qua nihil inscriptum sit, ut omnia recipiendi habeat facultatem.

Jam nunc quaerendum est, quid agere debeat mens, ut rerum notiones in tabulam istam inscribat; menti enim soli hoc negotium ab Aristotele mandatur, non rebus, id, quod perperam ei obtruserunt. Fieri non potest, ut gravissima quaestio recte decernatur, nisi differentia sit perspecta, quam Aristoteles in ipsa mente inesse credidit. Sicut et in natura et in iis rebus, quae arte perficiuntur, omnia ad materiae et formae rationem redeunt, ut altera patiatur, altera agat et efficiat, ita in ipsa mente discernendus est intellectus patiens et intellectus agens.[3]) Hunc a corpore separabilem et aeternum, illum caducum et interitui obnoxium esse dicit. — Aristoteles hanc mentis differentiam tam breviter significavit, ut, si primum quaeras, qualis sit patiens ille intellectus, ex ipsius verbis vix quidquam certi haurire possis. Ut pauca, quae sese offerunt, vestigia sequamur, intellectus patiens, quum morti obnoxius esse dicatur,[4]) necesse est, cum ceteris animi facultatibus,

---

[1]) de anim. III, 4, p. 88, 7 sq. Tr.

[2]) ibid. p. 90, 18 *δεῖ δ᾽ οὕτως ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηθὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον.*

[3]) ibid. Cp. 5 *Ἐπεὶ δ᾽ ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει ἐστί τι τὸ μὲν ὕλη ἑκάστῳ γένει (τοῦτο δὲ ὃ πάντα δυνάμει ἐκεῖνα) ἕτερον δὲ τὸ αἴτιον καὶ ποιητικόν, τῷ ποιεῖν πάντα, οἷον ἡ τέχνη πρὸς τὴν ὕλην πέπονθεν, ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς.* —

[4]) d. anim. p. 91, 22.

quae eandem subeunt conditionem, arctissime conjunctus sit. Has vero quum sequatur, oportet eas contineat et comprehendat; sic enim Aristoteles singulas quasque animae facultates cohaerere docet, ut inferior sine superiore, superior non sine inferiore esse queat[1]). Quum talis sit, si intellectui agenti tanquam potentia opponitur, nihil aliud significare videtur, nisi mentem, quatenus ea omnia in unum comprehendit, quae ceterae animi facultates ad rerum naturam cognoscendam contulerant.[2]) Quum igitur omne ejus officium in eo versari videatur, quod illarum auxilio adjutus rerum cognoscendarum quasi copiam colligit, ad ejus vim intelligendam illas perlustrare earumque rationem cognoscere necessarium erit.

Ac primum quidem de sensuum perceptione agendum est. Omnium sensuum haec est communis conditio, quod potentia[3]) sunt non actu; ut agant, necesse est, extrinsecus excitentur, sicut lignum nonnisi igni admoto flammam concipere potest. Quum igitur sensus potentia tales sint, quales res, quae percipiuntur, actu, inter has et illas dissimilitudo intercedit. Quam ut superent sensus, patiendi quandam subeunt conditionem; perpessi autem in rerum similitudinem accedunt.[4]) — Quod dicit Aristoteles, sensui patiendum esse, donec a re nihil discrepet, id ne perperam intelligatur, cavendum est. Sensus enim, quum patiuntur, non in

---

[1]) d. anim. II, 2, §. 4 sq. Tr.

[2]) cf. Trendelenburg. commentar. p. 493 sq.

[3]) d. anim. II, 5 δῆλον οὖν ὅτι τὸ αἰστητικὸν οὐκ ἔστιν ἐνεργείᾳ, ἀλλὰ δυνάμει μόνον. διὸ καθάπερ τὸ καυστὸν οὐ καίεται αὐτὸ καθ᾽ αὑτὸ ἄνευ τοῦ καυστικοῦ.

[4]) ibid. p. 50, 16 πάσχει μὲν γὰρ τὸ ἀνόμοιον, πεπονθὸς δ᾽ ὅμοιόν ἐστιν· p. 53, 1 τὸ δ᾽ αἰσθητικὸν δυνάμει ἐστὶν οἷον τὸ αἰσθητὸν ἤδη ἐντελεχείᾳ, καθάπερ εἴρηται· πάσχει μὲν οὖν οὐχ ὅμοιον ὄν, πεπονθὸς δ᾽ ὡμοίωται καὶ ἔστιν οἷον ἐκεῖνο.

alienam abeunt naturam,[1]) ut a suo quasi vitae fonte avertantur, sed illum, quem propositum habent, finem assequuntur. Sensuum perceptio, ut philosophi verbis utamur, *ἐπίδοσις εἰς αὐτό*[2]) appellari debet, quum id, quod potentia erant, ad actum perducatur. Jam si quaerimus, quid conferant sensus ad rerum naturam intelligendam, Aristoteles eos non in ipsa materia defixos esse, sed hac relicta, rerum formas suscipere dicit[3]), id, quod est gravissimum munus. Nam quum notionis vis in eo posita esset, ut indefinitam materiam fingeret et formaret, perspicuum est, sensuum perceptionem plurimum conferre, ut ad illum fontem ascendamus, ex quo tota pendet rei natura.[4]) At quum sensuum perceptio in singulis rebus detenta sit, quae celeriter praetervolant, quae est nova animi facultas, quae impedit, ne res perceptae ex animo excedant? Haec vis, sine qua sensuum opera ad res cognoscendas nihil valeret, ex Aristotelis sententia est imaginatio.[5]) Imaginatio, quam motum definit ex sensuum agitatione profectum[6]), quum id efficiat, ut res semel perceptae ex animo non evanescant, novam eamque gravissimam constituit facultatem, memoriam. Dum sensus in singulis rebus occupati erant, memoria contingit menti humanae, ut

---

[1]) D. anim. II, 5 *οὐκ ἔστι δ' ἁπλοῦν οὐδὲ τὸ πάσχειν, ἀλλὰ τὸ μὲν φθορά τις ὑπὸ τοῦ ἐναντίου, τὸ δὲ σωτηρία μᾶλλον τοῦ δυνάμει ὄντος ὑπὸ τοῦ ἐντελεχείᾳ ὄντος καὶ ὁμοίου, οὕτως ὡς δύναμις ἔχει πρὸς ἐντελέχειαν.*-

[2]) ibid. p. 51, 17.

[3]) ibid. II, 12 *Καθόλου δὲ περὶ πάσης αἰσθήσεως δεῖ λαβεῖν, ὅτι ἡ μὲν αἴσθησίς ἐστι τὸ δεκτικὸν τῶν αἰσθητῶν εἰδῶν ἄνευ τῆς ὕλης.* —

[4]) cf. Trendelenburg. Erläuterungen z. d. Element. d. ar. Logik S. 122 ff.

[5]) D. anim. III, 3.

[6]) D. anim. III p. 87, 14 *ἡ φαντασία ἂν εἴη κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως τῆς κατ' ἐνέργειαν γιγνομένη.*

rerum praeteritarum, etiamsi non sentiantur, habeat notitiam.[1]) Hac sola facultate, quippe quae prohibeat, ne res sensibus abreptae menti eripiantur, fieri potest, ut unius ejusdemque rei complures perceptiones in mente colligamus; quo fit, ut Aristoteles ex repetita memoria experientiam ortum ducere existimet.[2]) — Omnis cognitio, quum eo tendat, ut universalem rei naturam recludat, experientia memoriae vi utens prima id agit, ut unum illud, quod, etsi praeter multa sit, in ipsis multis tamen inest, arripiat, et tanquam quiescens in animo deponat[3]). Sicut in pugna[4]), acie in fugam conversa, si unus stetit, alter stat et rursus alter, donec imperium restitutum est, ita mens in rerum fuga, una arrepta alteram facilius arripiet et rursus alteram, donec id assequetur, ut universale, quod in omnibus tanquam communis lex regit easque continet, comprehendat.

Hac ratione, quamquam fieri potest, ut universalis quaedam cognitio exsistat, tamen, quoniam ex singulis collecta est, in singulis semper haerebit, neque notionem, quae est vere universalis, amplectetur. Unde factum est, ut Aristoteles in metaphysicis artem et scientiam experientia hac re praestantiorem esse dicat, quod in causa explicanda versentur.[5])

---

[1]) De memoria C. 1, p. 449, b, 13 Bek. *ταύτῃ γὰρ* (sc. *αἰσθήσει*) *οὔτε τὸ μέλλον οὔτε τὸ γενόμενον γνωρίζομεν, ἀλλὰ τὸ πάρον μόνον· ἡ δὲ μνήμη τοῦ γενομένου.*

[2]) Metaphys. I, 1 *γίγνεται δ᾿ ἐκ τῆς μνήμης ἐμπειρία τοῖς ἀνθρώποις· αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τοῦ αὐτοῦ πράγματος μιᾶς ἐμπειρίας δύναμιν ἀποτελοῦσιν·* cf. analyt. posteri. II, 19 p. 100, 4.

[3]) analyt. poster. II, 19 *ἐκ δ᾿ ἐμπειρίας ἢ ἐκ παντὸς ἠρεμήσαντος τοῦ καθόλου ἐν τῇ ψυχῇ, τοῦ ἑνὸς παρὰ τὰ πολλά, ὃ ἂν ἐν ἅπασιν ἓν ἐνῇ ἐκείνοις τὸ αὐτό, τέχνης ἀρχή* etc.

[4]) ibid. *οἷον ἐν μάχῃ τροπῆς γενομένης ἑνὸς στάντος ἕτερος ἔστη, εἶθ᾿ ἕτερος, ἕως ἐπὶ ἀρχὴν ἦλθεν·* cf. Trendelenb. elem. logic. Aristot. p. 138 sq.

[5]) Metaphysic. I, 1 *οἱ μὲν γὰρ ἔμπειροι τὸ ὅτι μὲν ἴσασι, διότι δ᾿ οὐκ ἴσασιν* etc.

Jam si id verum fuit, quod supra de intellectu patienti diximus, nunc apparet, quibus facultatibus instructus sit, et quibus finibus contineatur. Quamvis non omne cognoscendi munus expleat, tamen ad res intelligendas plurimum confert. Sensuum, imaginationis, memoriae auxilio adjutus, hujus mundi varietatem tanquam peregrinam terram recludit, sed intimam rerum naturam imperfecte divinavit; rerum quasi corpora et externas formas nobis suppeditavit, animas autem non satis intellexit. In his cognoscendis agentis intellectus cernitur vis et potestas. Quodsi Aristoteles intellectum patientem agenti sic opponit, ut alterum omnia fieri, alterum omnia agere et efficere dicat,[1]) nescio an haec significare voluerit. Mens, quum sensuum judicio utens ac memoriae vi instructus res reciperet et colligeret, eo usque pervenit, ut rerum cognoscendarum quasi copiam nancisceretur, ut externis sufficeret conditionibus, quibus rerum cognitio tenetur. At vero intellectus agens sua ipsius agitatione id consequitur, ut notionem, ex qua tanquam ex fonte singulae res collectae vitam hauriunt, deprehendat, vel cognitionem, quam intellectus patiens potentia possidebat, ad actum perducat. Aristoteles utriusque intellectus rationem imagine illustrat. Quemadmodum lux efficit,[2]) ut, qui potentia colores sint, actu fiant, ita intellectus agens, quidquid ab intellectu patienti inventum et collectum est, in actum convertit et ad novam quasi vitam protrahit. —

Quum sensibus negotium daretur, formas rerum in materia expressas, suscipiendi, ille intellectus universa-

---

[1]) D. anim. III, 5 — *καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς.*

[2]) D. anim. III, 5 *ὁ δὲ (νοῦς) τῷ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς· τρόπον γάρ τινα καὶ τὸ φῶς ποιεῖ τὰ δυνάμει ὄντα χρώματα ἐνεργείᾳ χρώματα.*

lem formam comprehendit, quae a materiae vicissitudine revocata re ipsa prior est, ejusque generationi tanquam causa subest.[1]) Ut usitatissimum Aristotelis exemplum afferamus, dum illi formam percipiunt, qualis est *τὸ σιμόν*, hujus cognitioni relinquitur, quod simile est *τῷ κοίλῳ*. —

Huic igitur, si propositum est, illam formam cognoscere, in qua universalis rei notio inclusa est, ex hoc demum ultimum veritatis testimonium repetendum erit, etsi ad rem intelligendam non minus necessarium sit, formam, qualis in materia apparet, perceptam habere. Aristoteles enim eam mentem veram esse dicit,[2]) quae *τὸ τί ἐστι* secundum *τὸ τί ἦν εἶναι* cogitet, vel si breviter dicta in plura diducimus, quae formam, qualis in materia expressa est, quam sensuum opera cognoscit, memoriaeque vi infixam habet, ita cogitet, ut universalem ejus notionem sequatur.

In hac comprehendenda non ea ratione mentem ad rem relatam esse dicit, qua affirmationem et negationem. Hae enim, quum aliquid de aliquo pronuntient, (*σύνθεσίς τις ἤδη νοημάτων ὥσπερ ἓν ὄντων*) verae aut falsae esse possunt.[3]) Menti autem, si contingit, ut rem ex universali ejus notione cogitet, non externum aliquod vinculum efficit (*τὶ κατά τινος*), sed in intimam rei naturam penetrat, eodemque modo ve-

---

[1]) ibid. Cp. 4, p. 89, 18 Tr. *τῷ μὲν οὖν αἰσθητικῷ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν κρίνει, καὶ ὧν λόγος τις ἡ σάρξ· ἄλλῳ δὲ ἤτοι χωριστῷ ἢ ὡς ἡ κεκλασμένη ἔχει πρὸς αὑτὴν ὅταν ἐκταθῇ, τὸ σαρκὶ εἶναι κρίνει.* Cf. Trendelenburg. commentar. ad hc. locum.

[2]) l. c. Cap. 6 *ὁ δὲ νοῦς οὐ πᾶς (ἀληθὴς ἢ ψευδής ἐστιν), ἀλλ' ὁ τοῦ τί ἐστι κατὰ τὸ τί ἦν εἶναι ἀληθής, καὶ οὐ τὶ κατά τινος.*

[3]) D. anim. III, 6. *ἔστι δ' ἡ μὲν φάσις τι κατά τινος ὥσπερ ἡ κατάφασις, καὶ ἀληθὴς ἢ ψευδὴς πᾶσα· ὁ δὲ νοῦς οὐ πᾶς*, etc. cf. Trendelenb. commentar. p. 507.

ritatem exprimit, quo sensus in iis percipiendis, quae tanquam propria iis offeruntur.[1]) Ita si hujus mentis est, universalem rerum notionem cognoscere, postquam id vera cogitandi actione perfecit, ab ipsis rebus non diversa est.[2]) Mens enim ad res non tanquam ad alienum relata est, sed ita iis respondet, ut, si vere eas cogitaverit, suam ipsius naturam in iis expressam conspiciat. Hinc factum esse videtur, ut Aristoteles mentem, iis omnibus superatis, quae in cognoscendo obstent, semet ipsam cogitare dicat.[3]) Dum enim actu rem cogitat, ab eaque non diversa est, non alienam rem considerat, sed in sua ipsius natura contemplanda occupata est. Haec est mentis *θεωρία*, cujus dulcedinem atque praestantiam Aristoteles tam vivis coloribus praedicavit. — Si quaerimus autem, quomodo mens illa rerum notiones concipiat, nihil invenimus apud Aristotelem, nisi quod mentem res *θιγγάνειν* dicit.[4])

Ut exposita paucis verbis complectar, Aristoteles duplicem distinxit mentis rationem. Ab hac parte pendebat mens a praecedentibus animi facultatibus, ut earum auxilio carere non posset; ab illa parte sua vi ad notionem percipiendam utebatur, ut divinae mentis par-

---

[1]) ibid. — — *ἀλλ᾽ ὥσπερ τὸ ὁρᾶν τοῦ ἰδίου ἀληθές, εἰ δ᾽ ἄνθρωπος τὸ λευκὸν ἢ μή, οὐκ ἀληθὲς ἀεί, οὕτως ἔχει ὅσα ἄνευ ὕλης.* —

[2]) Cap. 4, p. 90, 20 *ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄνευ ὕλης τὸ αὐτό ἐστι τὸ νοοῦν καὶ τὸ νοούμενον· ἡ γὰρ ἐπιστήμη ἡ θεωρητικὴ καὶ τὸ οὕτως ἐπιστητὸν τὸ αὐτό ἐστιν.* Cap. 7. *Τὸ δ᾽ αὐτό ἐστιν ἡ κατ᾽ ἐνέργειαν ἐπιστήμη τῷ πράγματι.*

[3]) Cp. VI p. 93, 13; Metaphys. XII p. 249, 7 Br. *αὑτὸν δὲ νοεῖ ὁ νοῦς κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ· νοητὸς γὰρ γίγνεται θιγγάνων καὶ νοῶν· ὥστε ταὐτὸν νοῦς καὶ νοητόν· τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ καὶ τῆς οὐσίας νοῦς· ἐνεργεῖ δὲ ἔχων*; p. 255.

[4]) Metaphys. XII p. 249, 7 *αὐτὸν δὲ νοεῖ ὁ νοῦς κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ· νοητὸς γὰρ γίγνεται θιγγάνων καὶ νοῶν.*

ticeps fieret. Jam his expositis, si ad definitionem nostram redeamus, non dubium est, quin huic mentis naturae via et ratio respondeat, quam ad notionem indagandam ingreditur. Quum notio, quippe quae causa sit, in rebus appareat, definitio ad eam declarandam sic procedit, ut experientiam consulat, ut sensibus ceterisque animi facultatibus, quibus nititur intellectus patiens, utatur, ne multa ut ex vultu quasi rerum et externa forma, quid intimo pectore sentiant, conjiciat. At hac in re non consistit, sed ut penitus rem intelligat, ad intellectum agentem se convertit, ut hujus vi intimam rei notionem vere assequatur. Itaque quae est universa Aristotelis cognoscendi lex et conditio, eam videas licet in definitione tanquam in luculento exemplo expressam.[1])

---

[2]) Haud difficile esset, definitionem in philosophia ab Aristotele sic adhibitam esse, exemplis comprobare. Afferimus beatitudinis (εὐδαιμονίας) definitionem (ethic. ad Nicom. I), in qua explicanda, postquam duplicem illam viam distinxit, ab iis proficiscendum esse putat, quae nobis sint notiora. Quamobrem perlustrans varia vitae genera deliberationem instituit, utrum in finibus, quos singula quaeque appetere videntur, summus finis vel beatitudo inesse possit. Hac ratione, quamquam non ipsam invenit definitionem, viam tamen ad eam inveniendam munivit. Nimirum examinando, quid imperfecti habeant istae opiniones, ac cur fines, quos proponunt, ad summi finis dignitatem non accedant, veram sententiam facilius inveniendi potestatem nactus est. — Jam istis finibus examinatis, suam beatitudinis definitionem in medium profert. At hac in re non consistit. Postquam ab iis, quae experientia tradebantur, ad notionem ascendit, ab inventa notione ad illa descendit, ac cum iis, quae communi hominum consensu ferebantur, vel prioribus philosophis placuerant, suam opinionem conciliare studet, quoniam oporteat proposita definitio cum iis, quae ab illis vera de beatitudine prolata sint, consentiat eaque amplectatur. *Τῷ μὲν γὰρ ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα, τῷ δὲ ψευδεῖ ταχὺ διαφωνεῖ τἀληθές.* — Itaque quod dicit Aristoteles, notionem iis, qaae in natura apparent, confirmari, et ea, quae apparent, notione, (de coelo I. 3

Sunt duo quasi termini, a quibus cognitio procedere debet, tum ab iis, quae nobis sunt priora, tum ab iis, quae per se priora sunt. Illa quidem sensibus percepta nonnisi mentis agitatione penitus intelliguntur, haec vero mente excussa sensuum judicio confirmantur. Ex Aristotelis sententia non una vel altera animi facultatum ad res intelligendas sufficit, sed omnes ad actionem vocandae sunt, ut sese invicem adjuvent atque confirment. Qua de causa definitionem vidimus neque sola inductione neque sola vi mentis, sed utriusque junctis viribus perficiendam esse. — Quodsi quaerimus autem, quum neutra carere possimus, ab utra parte sit cognoscendi initium faciendum, Aristoteles permultis locis[1]) nostrae mentis conditioni atque naturae consentaneum esse judicat ab iis proficisci, quae nobis sunt notiora et priora. Nam ut vespertilionum, inquit, oculi ad diei lucem se habent, ita nostrae animae intellectus ad ea, quae sunt natura notissima.[2]) Ac profecto mens priusquam id detegendi vim assequatur, quod extrinsecus nunquam recipere potest, oportet ea, quae apparent sensibusque offeruntur, perlustret, ac discendo sui compos fiat.

Haec causa fuit, ut Aristoteles experientiam tanti aestimaret ac tam diligenter *τὸ ὅτι* constitueret, prius-

---

p. 270, b, 4 Bek. ἔοικε δ᾽ ὅ τε λόγος τοῖς φαινομένοις μαρτυρεῖν καὶ τὰ φαινόμενα τῷ λόγῳ) ab hac sententia in ethicis quoque rebus non declinat; nam veterum hominum opiniones, quum eos non ab omni parte aberrare dicat (ethic. ad Nicom. p. 1098, b, 28), fere similes sunt τοῖς φαινομένοις, ut eas suae definitioni testes esse velit.

[1]) Physic. I, 1 p. 184 a, 16 Bek.; Ethic. Nicomach. I, 2 p. 1095; Metaphys. VII, p. 131, 31 Br., de anim. II, 2 §. 1 Tr.

[2]) Metaphy. II, p. 36, 1 Br.

quam ad *τὸ διότι* explicandum progrederetur. Admiratio,[1]) ut dicit Aristoteles, philosophiam procreavit. Naturae mysteria, cujus arcanam vim et effectum sensibus percipimus non intelligimus mentem impellunt, ut leges et causas, quibus contineantur, investiget. Nec primis solum temporibus, sed semper homines ita ad philosophiam pervenerunt. Res enim, quae sensibus objiciuntur nobisque priores sunt, occupant quasi mentem eamque incitant, ut causas perscrutetur, quae natura sunt priores. — Hinc quoque factum est, ut Aristoteles inductioni tantam tribueret auctoritatem eaque tam saepe in philosophia uteretur. Inductio enim sensuum perceptione nitens inde a singulis rebus perceptis ad universalem causam et notionem proficiscitur. —

Hoc modo, quum caute et circumspecte ad ea progrediatur, quae sunt natura priora, saepe[2]) admonet, ut rerum difficultates bene perquiramus, et quasi oculis exponamus. Qui quaestionem instituunt, inquit, nisi hoc faciant, similes sunt iis, qui, quonam ire oporteat, ignorent. Est vero dialecticae, quam *πειραστικὴν*[3]) appellat, in his difficultatibus ita versari, ut de iis in utramque partem disputet, cognitionemque praeparet. Qua via si persaepe Aristoteles procedere solet, intelli-

---

[1]) Methaphys. I, p. 7, 27 *διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, ἐξ ἀρχῆς μὲν τὰ πρόχειρα τῶν ἀπόρων θαυμάσαντες, εἶτα κατὰ μικρὸν οὕτω προϊόντες* etc.

[2]) Metaphys. III p. 40, 25 Br. *διὸ δεῖ τὰς δυσχερείας τεθεωρηκέναι πάσας πρότερον, τούτων τε χάριν καὶ διὰ τὸ τοὺς ζητοῦντας ἄνευ τοῦ διαπορῆσαι πρῶτον ὁμοίους εἶναι τοῖς ποῖ δεῖ βαδίζειν ἀγνοοῦσι* etc. De anim. I, 2 *Ἐπισκοποῦντας δὲ περὶ ψυχῆς ἀναγκαῖον ἅμα διαποροῦντας περὶ ὧν εὐπορεῖν δεῖ* etc.

[3]) Mteaphys. IV, p. 64, 30 Br. *ἔστι δὲ ἡ διαλεκτικὴ πειραστική, περὶ ὧν ἡ φιλοσοφία γνωριστική· ἡ δὲ σοφιστικὴ φαινομένη, οὖσα δ᾽ οὔ.*

gitur, quantopere cavendum esse censeat, ne temere et inconsiderate ad notionem explicandam accedamus.

Itaque pro nostrae mentis ratione Aristoteles cognoscendi initium ab iis putat ducendum esse, quae nobis sunt priora et notiora. At haec via non sufficit. Mens quoad a praecedentibus animi facultatibus pendet, cui quidem omnis illa cognitio debebatur, per se sola, ut vidimus, intimam rerum naturam non aperit. Necesse est, ut sua ipsius vi utatur, ut ex suis fontibus legem et notionem hauriat, quae est natura prior et notior. Hoc modo id, quod inductio imperfectum reliquerat, absolvit, quaeque experientia collegerat, notionis luce collustrat. Haec est altera cognoscendi via et ratio, quae quam arcte cum priori conjuncta sit, definitionis edocuit exemplum. —

Utramque autem noluit Aristoteles in infinitum abire; nam infinitum cogitando percurrere non licet. Sicut summa principia, quae mens ponit, demonstrari nequeunt, ita singula quaeque, quae sensus arripiunt, immediata esse debent.[1]) Itaque quae est lex demonstrationum,[2]) ut ex utraque parte finitae sint, eadem valet in universa cognitione.

Sunt, qui Aristotelem in singulis haerere neque experientiae fines transgredi dictitent. Horum, quid valeat sententia, ex antecedentibus perspicuum est. Etsi enim verissimum sit, Aristotelem nobis non eam vim concedere, ut opertis quasi oculis ex nostro sinu rerum leges causasque depromamus, etsi ubique experientiam

---

[1]) Ethic. Nicom. VI, 12, p. 1143 a, 35 Bek. *καὶ ὁ νοῦς τῶν ἐσχάτων ἐπ᾽ ἀμφότερα· καὶ γὰρ τῶν πρώτων ὅρων καὶ τῶν ἐσχάτων νοῦς ἐστι καὶ οὐ λόγος.*

[2]) analyt. posteri. I, Cp. 19 sq; ibid. Cap. 21, p. 82, b, 31 *πεπερασμέναι γάρ εἰσιν αἱ ὁδοί, τὰ δὲ πεπερασμένα πεπερασμενάκις ἀνάγκη πεπεράνθαι πάντα.*

profiteatur, tamen ultimum veritatis judicium penes intellectum esse judicat. Rerum cognitio ex Aristotelis sententia quasi harmonia est, ad quam efficiendam omnes animi facultates conferre debent. Atque haec doctrina dignissima est, in cujus memoriam nostra redeat philosophia. —

TYPIS PETSCHII.

TYPIS PETSCHII.